

# DE FESTORUM DIERUM IMMINUTIONE LIBER,

Pro Defensione Constitutionum Urbani VIII. & Gallicanæ Ecclesiæ Pontificum.

*Auctore* IOHANNE BAPT. THIERS, *Carnotensi Baccalaureo Theologo Parisiensi.*

Opus novum & à multis desideratum.



*Lugduni, & veneunt*


PARISIIS,

Apud Viduam JOANNIS DU PUIS, in vico San-Jacobæo, ad Coronam auream.

*M. DC. LXXVII.*

Cum Approbatione & Permissu.





# PRÆFATIO.

QVI feſtos dies ſtatos ac fixos ante Moyſis ætatem veri Dei nomine celebratos eſſe neminémque vmquam abſque eorum obſeruatione gratum & acceptum ſupremo Numini fuiſſe profitentur, quàm à veritate alieni ſint, Tertullianus aduerſum Iudæos diſputans in capitibus II. III. & IV. ita declarat: *Qui contendit & Sabbatum adhuc obſeruandum, quaſi ſalutis medelam, & Circumciſionem octaui diei propter mortis comminationem, doceat in præteritum juſtos ſabbatizaſſe aut circumcidiſſe, & ſic amicos Dei effectos. Nam ſi Circumciſio purgat hominem, Deus Adam incircumciſum cùm faceret, cur eum non circumcidit, vel poſteaquam deliquit, ſi purgat circumciſio?*

*Certè in Paradiso constituens eum incircumcisum, colonum Paradisi præfecit. Igitur cum neque circumcisum, neque sabbatizantem Deus Adam instituerit, consequenter quoque sobolem eius Abel offerentem sibi sacrificia, incircumcisum, nec sabbatisantem laudauit, accepta ferens quæ offerebat in simplicitate cordis, & reprobans sacrificium fratris Caïn, eius qui quod offerebat non rectè diuidebat. Noë quoque incircumcisum Deus, sed & non sabbatisantem de diluuio liberauit. Nam & Enoch iustissimum non circumcisum nec sabbatisantem de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustauit, vt æternitatis candidatus, iam nobis ostenderet; nos quoque sine Legis onere Moysi, Deo posse placere. Melchisedech quoque summi Dei Sacerdos incircumcisus & non sabbatizans, ad Sacerdotium Dei adlectus. Et probatus Loth frater Abrahæ quod pro meritis iustitiæ sine Legis obseruatione de Sodomitarum incendio sit liberatus. Sed Abraham, (inquit,) circumcisus est. Sed ante Deo placuit quàm circumcideretur, nec tamen sabbatizauit. Doceant Adam*

*ſabbatizaſſe, aut Abel hoſtiam Deo ſanctam offerentem, Sabbati religione placuiſſe, aut Enoch translatum, Sabbati cultorem fuiſſe, aut Noë Arcæ fabricatorem propter diluuium immenſum, Sabbatum obſeruaſſe, aut Abraham in obſeruatione Sabbati Iſaac filium ſuum obtuliſſe, aut Melchiſedech in ſuo Sacerdotio legem Sabbati accepiſſe.*

Primam itaque ſollemnium temporum apud ſacros & Eccleſiaſticos Scriptores memoratorum originem ad Moyſis & Apoſtolorum tempora reuocandam cenſemus. Ex eóque duplicis generis celebritates neceſſariò diſtinguimus: alias à Moyſe præſtitutas in lege veteri: alias ab Apoſtolis imperatas in lege noua. (Nihil enim à Christo Domino de feſtis diebus præceptum legitur.) Paucas illas, vnà cum ceteris omnibus antiqui Teſtamenti ceremoniis, ſeruatoris noſtri morte abrogatas; has etiam minùs multas hodie quoque Chriſtianis populis maximam partem exquiſitâ pietate frequentatas: ſed ad quas poſtea aliarum tanta facta eſt ab Epiſcopis ac-

cessio, vt in immensum penè excreuerint, fuerintque oneri potiùs quàm adiumento. Oneri dico, non egenis artificibus tantummodò mercenarijs earum turba frequentiori oppressis, sed etiam cæteris veræ pietatis cultoribus, qui Dauidis instar in Psalmo CXVIII. *Præuaricantes vident & tabescunt*, nec sine maximo animi dolore pati possunt Christianos, *Genus electum, regale Sacerdotium, gentem sanctam, Populum adquisitionis* (vt adpellat Apostolorum Princeps in Epistolæ 1. c. 2.) feriatorum dierum otio in ludos, saltationes, lasciuias, rixas, aleas, & compotationes abuti, eo tempore in crimina liberiùs prolabi, quo maximè deceret à criminibus abesse, nec vnquam magis imitari Ethnicos, quàm cùm præcipuè Christianos agere oporteret.

Hinc æqui rerum æstimatores copiosiorem festorum dierum multitudinem imminutam pridem optauere, rati futurum vt amputatis aliquot festis diebus, quæ ex eorum occasione passim perpetrantur flagitia, tollerentur, sicque Christiano

ſtianorum hominum ſaluti melius conſuleretur, ſi modica apud eos extarent ſollemnia, quàm ſi occupatos in pluribus agitandis animos haberent. Atque iſtius rei ratio proferri poteſt, quàm ex antiquæ Legis inſtitutis repetit in libro *de nouis celebritatibus non inſtituendis* Nicolaus Clemangius, Bajocenſis Archidiaconus, vbi ait: *Non mandauit Dominus per Moyſen niſi tres annuas ſolemnitates præter Sabbatiſmum per Iſraëliticum populum obſeruari, & propterea ampliori cultu venerationis, maiorique diligentia ac frequentia ad templum plebs adoratura confluebat.* Si enim Iudæi eo indictos ſibi à Moyſe feſtos dies religioſiùs peragebant, quod exigui eſſent numero: Chriſtianos diligentiorem tributuros ſuis ſollemnijs agitandis cultum haud difficiliter conficere eſt, ſi de ijs minùs illuſtria, minúſque verera diminuerentur.

Non quod damnandas exiſtimaueuerint cordati viri fidelium populorum ferias, ſed quòd paucas illas, quas inſtituit priſcorum auctoritas, ad id conuer-

ti magnopere cupierint, ad quod primitùs repertæ sunt. Verè enim Christianis omnis dies festus est atque sollemnis: mulier verò, quæ maxima turba est, festi dies minus festi sunt, quàm prophani.

Ea propter animarum nostrarum pastores, nostræque salutis procuratores Episcopi, cùm viderent rem olim pro illorum temporum ratione salubriter à patribus adornatam, nunc mutatis Christianorum moribus, pestem esse pietatis, constitutionem eodem consilio mutauere, quo veteres illi constituerant; Atque ideo varijs subinde ætatibus, varias de festorum dierum abrogatione sanctiones ediderunt. In quo quidem sapienter propositam à S. Leone magno in epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, regulam hanc seruauere; *Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitudine rerum oporteat temperari: illâ semper conditione seruatâ, vt in his quæ vel dubia fuerint aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangeli-*

*cis*

*tis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inueniatur aduersum.* In quo etiam prudentes sunt medicos imitati, qui habitâ morborum ratione mutant remedia, tantùm illud ceu scopum spectantes vt bonæ valetudini conferant. Neque enim Ecclesiæ decreta nos ad sui obseruationem eodem obligant modo, quo diuinæ Legis præcepta. *Constat*, (inquit in præscripto libro Clemangius) *interesse plurimùm quantum ad obseruationem aut omissionem, inter mandata diuina & humanas traditiones. Diuina etenim mandata humano nequeunt arbitrio cuiuscumque vtilitatis occasione abrogari, cùm in diuinam Legem mutandam, nullum ius auctoritatis habeat humana fragilitas, quam errore aut ignorantiâ sæpe falli contingit. Ecclesiæ verò constitutiones, quamuis iustâ & probabili causâ salubriter editæ, non ita inuiolabiliter obligant, quin frequenter pro locorum, temporum, morúmque varietate, si res ita exigat, per ipsam possint Ecclesiam, siue vniuersalem siue particularem commutari.*

Sed quidquid de festorum dierum

reſectione ſancitum ſit ab Epiſcopis, imperitum vulgus, quia otium amat & quietem, ventrique ac voluptatibus, quàm vel labori, vel diuinarum rerum contemplationi, indulgere potius eligit toto ſemper virium conamine enixum eſt, vt feſta, quocumque tandem inducta modo, retinerentur, tantúmque abeſt vt adeò probatam pijs veréque Religioſis hominibus feriarum quarumdam Eccleſiaſticarum detractionem probauerit, vt eam potius incuſauerit nouitatis, contumelioſis verbis exceperit, atque in illius auctores Eccleſiæ Antiſtites, calumnias auſum ſit euulgare.

Noſtra hoc tempeſtate ad ſummum æui noſtri dedecus contigiſſe, nimiùm exploratò ſcimus. Etſi enim Vrbani VIII. conſtitutione *Vniuerſa per orbem*; anno MDCXLII. datâ, nuperiſque Gallicanorum Epiſcoporum ſtatutis de feriarum imminutione æquiùs nihil, nihil ad rectam Eccleſiæ diſciplinam accommodatius, nihil ad fouendam fidelium pietatem vtilius, nihil denique ad minuenda plebeiorum præſertim hominum

pec

peccata efficacius ſit: reperiuntur tamen tantopere à bono ſenſu alieni tâmque præpoſterè religioſi homines; vt eiuſmodi ſtatuta ad conuellendam ſenſim ſine ſenſu Catholicam fidem, excogitata autument, neque aliter contra ſtent, quàm contra impium aliquod aut blaſphemum Lutheri vel Caluini dogma. Siccine vero debitus Romano Pontifici, Chriſti Vicario honor exhibetur? Siccine debita Epiſcopis reuerentia præſtatur? Siccine paſtorum legitimorum vocem oues audiunt? Siccine quod publicæ vtilitatis, diuinæque gloriæ procurandæ gratiâ conſtitutum eſt, in commune detrimentum, Deique præpotentis dedecus vergere exiſtimatur?

Et ſanè Vrbani VIII. de feſtis diebus conſtitutioni, quàm apertè multis in Chriſtiani orbis regionibus repugnatum ſit, indè liquidò colligitur, quòd quæ eâ reſciſſæ fuerunt celebritates, eodem penitùs quo antea cultu apud varias prouincias actæ ſint. *Bruxellis*, (inquit peruerſæ doctrinæ Theologus

Ioannes Caramuël in Theologiæ fundamentalis, fund. 111. §. 2.) *multùm adlaborare debui vt Hiſpanorum conſcientias turbatas, aut etiam irritatas ſedarem. Habet hæc gens erga Marianam Conceptionem deuotionem innatam: nec pacificè audire volebant* Vrbani VIII. diplomate *expungi tantam feſtiuitatem.*

Publicatas verò à noſtratibus Epiſcopis de eodem argumento ſanctiones longè meliorem Vrbani VIII. ſcito, ſortem expertas qui putat hoſpitem ſe ac peregrinum in Gallia patefacit. Alijs enim offenſionis ac inuidiæ: alijs obmurmurationis & indignationis: alijs jocandi & ſubſannandi: alijs poſtremò calumniandi ac malè cogitandi ſegetem dedere.

Ceterùm quàm abs re ita factum ſit, palàm fiet ex noſtro opere, in quo feſtorum dierum imminutionem, non heri aut nudiuſtertius vſurpatam, ſed iam inde ab antiquis Eccleſiæ temporibus, & ſubſecutis deinde ſæculis frequentatam eſſe oſtenditur: ac multò plures ab Vrbano VIII. & Gallicanis Præſulibus

feſtos

feſtos dies reſcindi potuiſſe demonſtratur, quàm qui reipsâ fuerint ab ijs imminuti.



Perſpicuum eſt nullum præiudicium, nullum ſuæ deuotionis impedimentum ex ſubducta Feſtorum numeroſitate bonis adferri, ſed plurimam proficiendi materiam tribui.

*Nicolaus Clemangius, Bajocenſis Archidiaconus in libello* de nouis celebritatibus non inſtituendis.

# APPROBATIONES.

QVam Epiſcopi noſtri varijs nuper ſtatutis edixerunt feſtorum aliquot ninutio, bonorum omnium in votis t. Et ea tam prudenter, támque ad ımmorum Pontificum mentem appoſi-lefinita fuit, vt nemo diſſentiri poſ-ideretur. Non defuere tamen, (tan-ſt æui noſtri infœlicitas) qui omni na veneratione ſtatuta ſparſis in vul-s rumoribus carperent, auderéntque uſare nouitatis: quaſi verò certâ, ıſtantique Eccleſiæ conſuetudine re-ptum non ſit, vt pro varia locorum temporum ratione, variè de feſtis, ce-iſque id genus ceremonijs, nunc Con-a, nunc Epiſcopi decernant. Quantæ neritatis ſit tam iniqua reprehenſio, timè explicat vir doctiſſimus Ioan-s Baptiſta Thierſius hoc in libro qui rennem de feſtorum dierum imminu-ne, Eccleſiæ vſum ac ſententiam re-æſentat, claréque admodum & eru-tè oſtendit quid hac de cauſa priori-

bus

bus ſæculis ſtatutum, quid medijs,quid poſterioribus.Eximiam quâ abſtruſiora ſacræ antiquitatis adyta ſcrutatus eſt diligentiam, inuictúmque quo ſacroſanctam ſummi Pontificis & Epiſcoporum auctoritatem tuetur, zelum, lector quiuis facilè deprehendat. Nos, quod præſentis eſt inſtituti teſtamur, nihil opere in toto fidei Catholicæ aut bonis moribus diſſonum, deprehendiſſe. In cuius rei fidem ſubſcripſimus. *Datum Carnuti pridie Kalendas Iunias an. Domini* M.DC. LXVIII.

I. ROBERT,
*Doctor Theologus, Socius Sorbonicus, Carnotenſis Archidiaconus.*

N Ecclesiasticis ceremonijs ad quas
festorum celebratio pertinet, ita ve-
eramur antiquitatem, vt ab ea teme-
è recedendum non esse arbitremur.
Cùm autem duo sint quæ receptæ con-
uetudinis mutationem suadeant, alte-
rum si omissa resumatur antiquitas, al-
terum, si quæ prius vtilia visa fuerant,
noxia postmodum euasisse deprehendan-
tur: optimè sanè doctissimus Thiersius
vtraque ratione promulgatam nuper ab
Episcopis nonnullorum festorum immi-
nutionem tuetur, dum multitudinis
festorum illorum, quæ lex aut vsus
inuexerat, incommoda recenset, prio-
ribus illa sæculis celebrata non fuisse
demonstrat, simúlque Romani Ponti-
ficis, & aliorum Episcoporum in ijs
abrogandis authoritatem propugnat.
Quo in opere, cùm nec zelus autho-
ris, nec eruditio desideretur, nihil-
que occurrat, quod fidei diuinæ aut
bonis moribus repugnet, calculo illud
nostro

noſtro comprobandum duximus. *Datum Carnoti Kalendis Iünij, anni* M. DC. LXVIII.

B. LEFERON.
*Doctor Theologus, Socius Sorbonicus, Canonicus Carnotenſis.*

PER

# *PERMISSIONS.*

VEu les Approbations, ie n'empéche l'impreſſion du Liure eſtre faite par PIERRE GVILLIMIN, auec les defenſes ordinaires. Fait ce 18. Nouembre 1668.

GALLIAD.

SOit fait ſuiuant les concluſions du Procureur du Roy les jour & an ſuſdits.


DVLIEV.



# INDEX

## CAPITVM CONTENTORVM in hoc libro.

XXVIII.



# INDEX

## CAPITVM CONTENTORVM in hoc libro.

XXVIII.

LV.



DE



# DE FESTORVM DIERVM IMMINVTIONE LIBER.

## CAPVT I.

*Qui festos dies omnes, qui nullos, agitari velint?*



VOBVS circa festorum dierum obseruationem erroribus oppidò diuersis sese implicauerunt hæretici, iuxta ac schismatici nonnulli. Ebionitæ, vtriusque Testamenti, veteris ac noui ferias, sabbatum videlicet, aliásque Mosaïcæ legis cerimonias, Iudæorum instar; & Dominicam diem, in Resurrectionis

Chriſti memoriam, Chriſtianorum more agitabant. Τὸ σάββατον (inquit Euſebius Cæſarienſis in cap. XXVII. lib. III. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ) καὶ τὴν Ἰουδαϊκὴν ἄλλην ἀγωγὴν ὁμοίως ἐκείνοις παρεφύλαττον· ταῖς δ' αὖ κυριακαῖς ἡμέραις, ἡμῖν τὰ παραπλήσια εἰς μνήμην τῆς τοῦ Κυρίου ἀναστάσεως ἐπετέλουν. Idipſum Gregorij Magni temporibus ſenſerunt nefarij quidam homines, de quibus ita loquitur ſanctiſſimus Pontifex in Regiſtri lib. XI. epiſtola XIII. *Dilectiſſimis filiis ſuis Romanis ciuibus datâ: Peruenit ad me quoſdam peruerſi ſpiritus homines, praua inter vos aliqua & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe, ita vt die ſabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Anti-Chriſti prædicatores dixerim, qui veniens diem ſabbati atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri? Quia enim mori ſe & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum; & quia Iudaïzare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli vult ſabbatum.* Eandem in opinationem hodie quoque eunt pedibus ac manibus Chriſtiani qui apud Æthiopas agunt; ſi Cardinali Bellarmino fides in lib. III. de cultu SS. cap. X. Græci etiam recentiores, Aſſyrij ſeu Melchitæ, Georgiani, Circaſſiani & Mengreliani, vt apud Ed. Brerevvoodium Londinenſis Academiæ profeſſorem videre licet in libro Anglicè ſcripto, cui titulus eſt, *Diſquiſitiones curioſæ de linguarum & religionum totius orbis varietate*, capitibus XV. XVI. XVII. & XXIII. *Dicuntur & hodie repullulaſcere Sabbatarij* (ait Eraſmus

in

in libro III. Ecclesiastæ, longè post medium) *qui septimi diei otium incredibili superstitione obseruant.*


Atqui hic error pluribus in Conciliis ab Ecclesia Catholica fuit condemnatus, maximéque in Laodiceno, quod exeunte Liberij pontificatu circa annum Dom. CCCLXIV. celebratum legitur, atque à VI. Synodo Trullana confirmatum. Huius enim in Concilij canone XXIX. Iudaïcorum rituum cultu sic interdicitur Christianis: *Non oportet Christianos Iudaizare & in sabbato vacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidem diei. Si hoc die placet, vacent tanquam Christiani. Quod si inuenti fuerint Iudaïzare, anathema sint.*

Contrà verò VValdenses, in eo impiorum hominum similes, qui ita apud regium Prophetam aiunt in psal. LXXIII. *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*, testatur Alphonsus de Castro Zamorensis Franciscanus in lib. XIII. aduersus omnes hæreses, tit. *Sancti: Omnium Sanctorum festiuitates ab Ecclesia auferre conatos fuisse.* Quod & opinatus videtur Petri Bruis successor *Henricus quidam olim monachus*, postmodo *apostata vilis*, cuius impia dogmata sic describit S. Bernardus in epist. CCXLI. *Quanta audiuimus & cognouimus mala quæ in Ecclesiis Dei fecit & facit cotidie Henricus hæreticus? versatur in terra vestra sub vestimentis ouium lupus rapax; sed ad Domini designationem*, à fructibus eius cognoscimus illum. *Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia sunt, & sine Christo*

*denique Christiani; Ecclesiæ Synagogæ reputantur; Sanctuarium Dei sanctum esse negatur; Sacramenta non sacra censentur:* Dies festi festiuis frustrantur solemniis. Quibus verbis omninò consonat Gaufridus Abbas Altæ-Cumbæ] in libr. III. vitæ S. Bernardi, cap. VI. vbi ait: *Passim inueniebantur iam Ecclesiæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia, sine Christo denique Christiani. Paruulis Christianorum, Christi vita intercludebatur, dum baptismi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationésque pro mortuis, Sanctorum inuocationes, sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, basilicarum ædificationes,* Dierum sollemnium vacationes, *Chrismatis & olei consecrationes, & omnes deniquè institutiones Ecclesiasticæ spernebantur.* Multos præterea hæreticos alios enumerat in Iaculis Ecclesiæ Christi catholicæ Benedictus à Benedictis, quorum alij vnum, alij plures, alij omnes à Christianæ religionis penetralibus festos dies esse remouendos omnino profitentur. *Sacratissimum sacrosanctæ & indiuiduæ Trinitatis festum* (inquit hæresi. IX.) *Trinitarij, Quaternarij, Mahumetani & alij similis farinæ nebulones è medio tollunt: Ecclesiæ autem veri cultores gloriosissimè die feriato celebrant auctore Deo ac ipsius Ecclesia.* Tum hæresi LXXXXIV. *Festa Conceptionis Christi, Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis seu Paschatis, Adscensionis, Pentecostes, & omnium Dominicarum, inuidi diuini honoris, diabolique amasij Manichæi, Aërius, Petrobrusiani, Lollardi, Guillelmus Albus, Lutherus, Andreas*

*Carolsta*

*Carolstadius , Sebastianus Francus , Lambertus Danaus & alij abolent & abrogant : quos non imitatur , imò abominatur fidelis , religiosa ac deuota Ecclesia Christi, ab ipsa Apostolorum ætate.* Deinde hæresi CXVI. *Festa Deiparæ omnia ab ipsa Dei viuentis Ecclesia Pikardi , Lutherus & Lutherani è medio tollunt.* Ac postremò , hæresi CLX. *Anno* MCLXXX. *VValdenses* ; MCCCXL. *VVi-clephus* ; MCCCCXXX. *Thaborita* ; MD. *Pikardi* ; MDXXX. *Lutherus* ; & MDXL. *Heluetij duxerunt festa Sanctorum omnium minùs esse celebranda , sed in vniuersum abolenda.* His omnibus accenseri possunt Cophti siue Copti Christiani Ægyptiaci , qui non omnes quidem festos dies reiiciunt , sed eos in vrbibus solùm obseruare consueuerunt, sicut auctor est modò Laudatus Ed. Brerevvoodius in præfati libri cap. XXII.



## CAPVT II.

## *Quid de festorum dierum obseruatione sentiat Ecclesia , & quas præsertim ob causas eos celebret ?*

VErum enim vero Ecclesia Catholica sapientissimè à diuino Spiritu gubernata , mediam inter duos illos , toto cœlo distantes, Hęreticorum Schismaticorúmque errores viam ingressa est ; adeo vt aliis , quia sabbatum æquè ac Dominicam diem peragebant , aliis

autem, quià ferias omnes Ecclesiasticas è medio tollebant, iure ac merito improbatis; imposito Christianorum populorum ceruicibus de Dominica die solemniter obseruanda, suaui iugo, antiquioris sabbati celebritatem vetuerit ne frequentarent; diésque nonnullos Dei præpotentis, cœlitúmque cum Deo in sempiternas æternitates regnantium nomine, pro festis haberi voluerit; vt summi rerum omnium conditoris summam erga se beneficentiam & liberalitatem testatas faceret ac publicè profiteretur. Hæc siquidem præcipua est feriatorum dierum institutionis ratio, quemadmodum apertè docent SS. Patres. Vnde S. Isidorus Pelusiota in lib. II. epist. CXVI. Paulum quendam admonet ne sit nescius Deum beneficiorum suorum monumenta festiuis diebus & olim & nunc adstrinxisse, vt qui eiusmodi dies celebrant, eorum memoriam auribus suis insonantem habentes, non ad temulentiam atque ebrietatem, sed ad gratiarum actiones ac virtutem se se conuertant. Μὴ ἀγνόει δὲ (inquit Abbas eloquentissimus) ὅτι ὁ Θεὸς ταῖς ἑορταῖς καὶ πάλαι καὶ νῦν ἐγκατέδησε τῶν εὐεργεσιῶν τὰ ὑπομνήματα, ἵν' οἱ πανηγυρίζοντες ἔναυλον τὴν τούτων μνήμην ἔχοντες, μὴ εἰς μέθην, ἀλλ' εἰς εὐχαριστίαν καὶ ἀρετὴν τρέποιντο. Et S. Augustinus in lib. III. de ciuit. Dei cap. IV. id habet: *Nos vni Deo Deorum beneficiorum eius memoriam sollemnitatibus festis & diebus statutis dicamus sacramúsque, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.* Atque in lib. XXXII. contra Faustum cap. XI. illud obseruat: *Nos Pascha celebrantes,*


*occisionem agni Dei, cùm cotidie, tùm maximè anniuersaria sollemnitate, non venturam signamus, sed factam commemoramus.* Ac demum in cap. XII. eiusdem libri, de quinquagesimo die agens quo ChristusDominus Spiritum sanctum suis, vti promiserat, misit Apostolis, ista subiungit: *Ea anniuersariè in Ecclesia celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, vt eorum necessariam salubrémque memoriam festiuitas concelebrata custostodiat.*

Aliæ quidem (neque enim fas diffiteri) adferuntur à sanctis Ecclesiæ Doctoribus, festorum dierum institutionis rationes, quas heic omnes fusius percensere longius sit. Idcircò enim imperatas Christianæ plebi in cœlitum honorem ferias adseuerant. I. vt vetera Gentilium festa abolerentur omninò, abrogatóque falsorum numinum cultu, vnum & verum Deum in seipso suísque ipsius sanctis honoraremus; II. vt felici beatorum hominum virtutis, rerúmque gloriosè ac fortiter ab illis gestarum recordatione, ad sectandum quod institerant iter excitaremur; III. vt in illorum meritorum partem ac societatem veniremus; IV. vt eorum orationibus adiuuaremur; V. atque etiam vt eiusmodi sollemnibus ad prędicandas Dei omnipotentis laudes impelleremur, qui tam mira támque stupenda in cœlitibus dignatus est efficere. Earum rationum aliquas proferunt S. Isidorus Hispalensis antistes, & post illum Hrabanus Maurus Moguntinus præsul, qui in lib. II. de institutione

Clericorum cap. XLIII. eadem propemodum vocabula sibi adoptat, quæ ille in lib. I. de Ecclesiasticis officiis cap. XXXIV. sic retulit: *Festiuitates Apostolorum seu in honore martyrum sollemnitates, antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel vt meritis eorum consociemur, atque orationibus adiuuemur: ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum offeramus, quamuis in memoriis Martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum adsistens altari aliquando dixit,* Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? *Sed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit; quò ex ipsorum locorum amore maior affectus exurgat ad augendam caritatem, & in illis quos imitari possumus, & in illo quo adiuuante possimus.* Cæteras alij rationes adducunt.

At si rem totam propiùs inspicere lubeat, rationes omnes illas, quantæ quantæ sunt, eò solùm tendere vel cæco & puero (quod aiunt) manifestum fiet, vt festos dies, quicumque tandem illi sint, in salubrem diuinorum beneficiorum memoriam institutos fuisse contestemur, actáque, dum in terris versamur temporis huiuscemodi memoriâ, ad perennem sanctorum spirituum felicitatem totis animis ac toto pectore contendamus, vti nos ad illud hortari videtur S. Gregorius, homil. XXVI. in Euangelia, vbi de Paschali festo verba faciens, ita scribit: *Ecce Paschalia sollemnia agimus, sed ita viuendum est nobis vt peruenire ad æterna festa mereamur.*

*mereamur. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiua celebrantur, curate qui his sollemnitatibus interestis, ne ab æterna sollemnitate separemini. Quid prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis Angelorum? vmbra venturæ sollemnitatis est sollemnitas præsens. Idcircò hanc annuè agimus, vt ad illam quæ non est annua, sed continua perducamur. Cùm hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Frequentatione ergo gaudij temporalis, ad æterna gaudia mens incalescat & ferueat, vt ex veritate lætitiâ perfruatur in patria, quod de vmbra gaudij meditatur in via.* Qui etiam Ecclesiæ Catholicæ sensus est, suis in orationibus sæpe sæpius postulantis, vt transactis huius æui celebritatibus, *peruenire ad gaudia æterna mereamur.*



## CAPVT III.

### *Cur non omnes dies pro festis haberi iusserit Ecclesia, sed aliquos solummodo? Dies illi vtrum aliis sanctiores?*

ÆQuissimum esset profectò atque optandum maximè vt Christiani omnes populi infinitam Dei bonitatem ac munificentiam attenderent noctes diésque, ipsiúsque benefactorum memoriam omni tempore haberent in animis, vt ea supremo numini referrent accepta; quandoquidem, ex beati Prosperi

mente in cap. x x i x. carminis, aduersus ingratos,

*Hoc nobis majorum est causa bonorum*
*Dum largitori sua reddimus, éque relatis*
*Augemur, nostrúmq; bonum fit gloria dantis.*

Sed quoniam assidua illa, iugísque diuinæ erga nos liberalitatis meditatio huius vitæ non est tot ac tantis calamitatibus obnoxiæ, & tam diuersis vndequaque negotiis distractæ: exspectandúmque nobis est donec alia vita beatiori ac proindè securiori potiamur, in qua absque tædio vllo vel fastidio Deum in æternas sæculorum ætates laudare possimus; fidelium omnium mater Ecclesia, fidelium omnium patrem Deum imitata, qui perpetuam animorum tranquillitatem assiduámque operum ac laborum remissionem à nobis non postulat, nisi iis diebus tantùm quos ad id præcipuè ordinauit: Ecclesia, inquam, aliquot anni dies præ cæteris delegit, quibus homines Christiani catholici, collata sibi à Deo munera serenis animis recolerent, ipsi gratias agerent quantum possunt immortales, & orationi, Christianæ doctrinæ, sacrificiis, aliísque veræ pietatis officiis, quæ fidem, spem & caritatem alunt atque excitant, totis viribus indulgerent.

Quare conuenientissimum iudicauit prima ac præcipua fidei nostræ mysteria fideli populo per totum anni curriculum ordine aliquo proponere. Quod factum sanè est, anno in certos quosdam feriatos dies distributo, quibus Christiani ad sacras ædes concurrerent, diuina

diuina religionis suæ documenta à *Christi ministris & mysteriorum Dei dispensatoribus* ( vt appellat S. Paulus in epist. 1. ad Corinth. cap. IV. ) percepturi, cœlestiúmque rerum contemplationi procul ab omni strepitu & terrenis curis, procul ab omni clamore & irâ, vacaturi. Illud porrò est quod eleganter expressit S. Paulinus Nolanus Episcopus in natal IX. *de aduentu Niceti Episcopi è Dacia, qui ad natalem Domini Felicis occurrerat*, carmine XXIV. hunc in modum.

*Ergo velut cœlum stellis, vt floribus arua,*
*Temporibúsque annos Dominus, sic ipse diebus*
*Tempora distinxit festis; vt pigra diurnis*
*Ingenia obsequiis, saltem discrimine facto,*
*Post interuallum reduci sollemnia voto.*
*Sancta libenter agant, resideśq; per annua mentes*
*Festa parent Domino, quia iugiter intemeratos*
*Iustitiæ seruire piget. Delinquere suetis*
*Parcere peccato labor est; decurritur omni*
*Valle, per adscensum non est euadere cursu.*
*Hinc via labendi procliuior, & via vitæ*
*Durior, illa capax multis, hæc ardua paucis.*
*Inde bonus Dominus cunctos pietatis vt alis*
*Contegat, inualidis niti virtutis ad arcem,*
*Congrua sanctorum dedit interualla dierum,*
*Vt saltem officiis mediocribus vltima Christi*
*Vestimenta legant & eos sacra fimbria sanet,*
*Qui non extorres penitùs regione salutis*
*Intra perpetuæ stabulant præsepia vitæ,*
*Longinqui primis, non longo fine secundis.*
*Primus enim gradus est cœlo prætexere cunctos*
*Continuâ bonitate dies, & tempore toto*

*Pascha sacrum Christi cultu celebrare pudico*
*Quòd si mista seges tribulis mihi germinet, & cor*
*In cultum stimulet terreni sæua laboris,*
*Vel festis studeam Domino me offerre diebus,*
*Vt vel parte mei tangam confinia vitæ,*
*Corpore-ne toto trahar in consortia mortis.*

Licèt igitur accuratiùs loquendo, sepositísque Ecclesiæ Catholicæ de festorum dierum celebratione legibus, æquales sint inter se totius anni dies omnes, posśintque Christiani cotidie & Pascha, & Pentecosten, & natale Domini, & Dominicam diem, aliásque id genus ferias agitare, si nimirum cotidie sacro intersint, corpori & sanguini Dominico communicent, diuina mysteria pariter ac beneficia seriò apud se perpendant, omissísque seruilibus operibus totos se Deo tradant atque mancipent, cuiusmodi deberet esse Clericorum Monachorúmque vita, quibus dies omnes feriarum nomine indigitantur; nihilominus tamen dies illi quos festos feriatósve nuncupamus, verè sunt aliis sanctiores sacratioréśque; & aliquam diuini cultûs partem constituere dicendi sunt. Cur enim ab Ecclesiæ Patribus vocarentur sancti, cur appellarentur sacri, venerabiles, mystici, sollemnes, ac religiosè colendi, nisi quia cæteris omnibus commendatiores sunt & illustriores. Cur præcipuo præ aliis cultu seruarentur, si nihil haberent præ aliis quo discreparent ab aliis? essent eliminandi prorsus vel ij quos quasi per manus ab Apostolis accepimus, nisi aliquid præstantius reliquis innuerent! Cur aliis prætermissis,

termissis Christianæ plebi imperarentur, nisi aliis prætermissis Christiana plebs eos agere teneretur? Cur tertio primæ tabulæ præcepto eorum obseruatio coërceretur, ad diuinum cultum nisi pertineret? Et sanè si quæ Christus Dominus contrectauit, sancta sunt, sacra sunt; si crux sancta, si sanctum præsepe in quo natus est, si tumulus sanctus in quo triduum sepultus iacuit: cur non etiam dies quo cœpit aurâ vesci æthereâ, quo seipse à mortuis excitauit, quo cœlum conscendit, quo vitam cum morte commutauit, quo spiritum sanctum Apostolis illabi fecit, quo Deiparæ Virginis, quo Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum denique omnium anniuersaria recolitur memoria, sacer erit sanctúsque? si templa, si altaria, si, quibus, dum sacris operantur Pontifices & sacerdotes, vtuntur vestimenta, idcirco sancta & sacra nuncupamus, quia ad colendum Deum adhibentur: nónne etiam sancta & sacra nominari poterunt tempora quæ diuino cultui dedicantur?


Neque ideo tamen (quod recentiores hæretici calumniantur) *Dies obseruamus & menses & annos*, vt Iudæis, Iudaïcósque ritus retinentibus exprobrasse vulgò creditur in epist. ad Galat. cap. IV. gentium Apostolus. Vt enim eo loci Apostolum non dicam, vanas, superstitiosas ac perridiculas Gentilium obseruationes loqui quemadmodum in cap. LXXIX. Enchiridij ad Laurentium, his verbis adnotauit S. Augustinus: *Quis existimaret quàm magnum peccatum sit dies obseruare & menses & annos &*

*tempora,*

*tempora, ſicut obſeruant qui certis diebus, ſiue menſibus, ſiue annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd ſecundùm vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtiment tempora; niſi huius mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait:* Timeo ne fortè ſine cauſa laborarim in vobis. Quis neſcit Græcos propemodum omnes, Sanctos Auguſtinum & Hieronymum in ſuis ad huiuſcè locum commentariis, illa ipſa S. Pauli verba de Iudæorum feſtis diebus interpretari? Iam quis ignorat quàm latum Iudæorum inter & Chriſtianorum ſollemnia diſcrimen intercedat? *Illi* (inquit S. Auguſtinus in cap. xvi. lib. contra Adimantum) *Ea ſeruiliter obſeruabant, non intelligentes ad quarum rerum ſignificationes & prænunciationes pertinerent: hoc in eis culpat Apoſtolus & in omnibus qui ſeruiunt creaturæ potius quàm creatori. Nam nos quoque & Dominicam diem & Paſcha ſollemniter celebramus, & quaſlibet alias Chriſtianas dierum feſtiuitates: ſed quia intelligimus, quo pertineant, non tempora obſeruamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus.* Hinc Iudæorum feſti dies publicatâ Euangelij lege falſam ſignificationem habent, veram autem Chriſtianorum. Hinc, vti iam à nobis ſuprà demonſtratum fuit, Eccleſiaſticarum feriarum præcipua ratio, finíſque primarius eſt, diuina beneficia profiteri, quorum gratiâ imperatæ reperiuntur; Iudaïcarum verò præcipua ratio finíſque primarius erat futura deſignare, quandoquidem, Apoſtolo teſtante in cap. II. epiſt. ad Coloſſ. *Cibus, aut potus, aut*

*pars*

*pars diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, sunt vmbra futurorum.* Hinc denique cùm in Iudæis palmarium esset à corporeo labore per dies festos sibi temperare omnino: Christianis palmarium est diuinis mysteriis & officiis per dies festos interesse; nulláque aliâ de causâ diebus eiusmodi operum ac laborum requies ipsis præcipitur, nisi quia operibus ac laboribus indulgentes, à Dei laudum prædicatione diuinorúmque beneficiorum commendatione abstraherentur.



## CAPVT IV.

### *De institutione, antiquitate & præstantia diei Dominicæ.*

ECclesiasticarum autem feriarum omnium primas tenet Dominica dies, quæ Apostolica institutione in Iudaïci sabbati locum successit, ipsíque, vt ita dicam, succenturiata est. Atque dies illa, rerum cùm præteritarum, tum etiam futurarum significatione, sabbato veteri multis interuallis antecellit. *Vnde intelligant Iudæi* (inquit S. Isidorus Hispalensis Episcopus in lib. 1. de Ecclesiasticis officiis cap. XXIV.) *Iam tunc prælatam esse Iudaïco sabbato Dominicam nostram: iam tunc indicatum quòd in sabbato ipsorum gratia de cœlo ad eos nulla descenderit, sed in sancta Dominica, in qua primùm Dominus eam pluit.*

Enimvero luce primâ (quæ Dominica est) totum

totum vniuersitatis corpus condere incepit Deus; luce primâ Christus à mortuis resurrexit; luce primâ Spiritus sanctus Ecclesiam nascentem Hierosolymis congregatam suo igne refocillauit, suis illustrauit splendoribus, suo animauit spiramine; & luce primâ natus est humanæ naturæ reparator. Quo enim anno in vitam venisse dicitur, eodem litera quam Dominicalem appellant, B. decurrebat, quemadmodum vltro Mathematici omnes confitentur, leuique brachio, si in literarum Dominicalium cyclo (quod ajunt) retrocedatur, demonstrari potest. Literam autem B. diem in Decembris xxv. incidere manifestum est, quo die Christi Domini Natalis in Ecclesia celebratur. Vnde prima lux illa mundi totius exortum, Christi Seruatoris ortum, Resurrectionem & Ecclesiæ Natalia propagationémque repræsentat, nec non & fidelibus populis post mortem, nouæ atque melioris vitæ spem inijcit. Eapropter Christianarum feriarum antiquissimam nuncupamus Dominicam diem, quæ absolutis omnibus reparationis nostræ Sacramentis, promulgato palàm ac publicè varijs gentibus Euangelio, antiquatísque Iudæorum ritibus ac festis, ipsa die Pentecostes sumpsisse exordium vulgò putatur. Etsi enim Resurrectionis Christi ipsiúsque in Cœlum Ascensionis sollemnia ab Apostolis instituta sint, aliquot tamen post Dominicam diem mensibus agitata fuisse nemo inficiabitur.

Testes habemus antiquitatis diei Dominicæ locuple

locupletissimos S. Ioannem in cap. I. Apocal. ita loquentem: *Ego Ioannes fui in Spiritu in Dominica die*; S. Paulum in Ep. ad Cor. I. cap. XVI. *Per vnam Sabbati vnusquisque apud se reponat*; S. Lucam in cap. XXIV. Euangelij: *Vnâ autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum*, & in cap. XX. Act. *Vnâ Sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem*; S. Matthæum in cap. XXVIII. *Vespere autem Sabbati qua lucescit in prima Sabbati*; S. Marcum in cap. XVI. *Et valde mane vnâ Sabbatorum veniunt ad monumentum*; ac denique jam laudatum S. Ioannem in cap. XX. Euangelij; *Vnâ autem Sabbati, Maria Magdalene venit mane ad monumentum.* In his siquidem locis omnibus per *vnam* seu *primam Sabbati*, nihil intelligunt aliud sancti Patres, ceterique Scripturarum Sacrarum interpretes, quàm Dominicam diem, quæ feriarum omnium prima est. Quare *vna* apud S. Paulum, S. Lucam, S. Marcum & S. Ioannem, *primam* designat, ex vsitato apud Hebræos loquendi genere, qui *vnum* aliquando in Sanctis Codicibus accipiunt pro *primo*, quemadmodum vel ex cap. I. Genes. patet, vbi *factum* legitur *vespere & mane dies vnus*, id est, *primus*; propterea quòd insequentibus *dies secundus, dies tertius*, atque ita de reliquis, adjungatur. *Primam* autem *Sabbati* siue Hebdomadis diem, Dominicam nominari qui nescit, discat è Venerabilis Bedæ libro de ratione temporum cap. VI. in quo habetur: *Ferias habere*

*habere Clerum primus Papa Siluester edocuit, cui soli Deo vacanti numquam militiam vel negotiationem liceat exercere mundanam. Et primum quidem diem quo & lex in principio facta est & Christi est Resurrectio celebrata, Dominicum nuncupauit, quod illi nomen jam primis Ecclesiæ temporibus inditum fuisse testatur Ioannes qui dicit in Apocalypsi*, fui in Spiritu in die Dominico.

Habemus præterea antiquitati diei Dominicæ suffragantem S. Barnabam Apostolum in Epistola Catholica ex editione Isaaci Vossij, sic ajentem in fine §. XII. Partis I. *Ορᾶτε, πῶς λέγει, οὐ τὰ σάββατα ἐμοὶ δεκτά. ἀλλ᾽ ἃ πεποίηκα, ἐν ᾧ καταπαύσας τὰ πάντα ἀρχὴν ἡμέρας ὀγδόης ποιήσω, ὅ ἐστιν ἄλλου κόσμου ἀρχήν. διὸ καὶ ἄγομεν τὴν ἡμέραν τὴν ὀγδόην εἰς εὐφροσύνην, ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, καὶ φανερωθεὶς ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς.* Habemus Clementem Romanum (vt credunt) ita in Canone Apostolorum LXVI. scribentem: *Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον (πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου) καθαιρείσθω; εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.* Quæ verba in VI. Synodi cap. LV. repetuntur. Habemus inuictissimum Martyrem S. Ignatium, cuius hæ voces sunt in Epis. ad Magnesios, prout nobis ab interpolatore nescio quo datæ sunt, neque enim in Vossiana editione sic inueniuntur: *καὶ τὸ σαββατίσαι, ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν ἣν ἀναμένων ὁ προφήτης ἔλεγεν, Εἰς τὸ τέλος, ὑπὲρ τῆς ὀγδόης. ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε, καὶ τοῦ θανάτου γέγονε νίκη ἐν*

Χριστῷ.

Χριστῷ. Habemus Sanctissimum Martyrem Iustinum, cuius hæc verba sunt ad calcem Apologiæ II. *τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα. ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε. καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτόν, καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικήν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς.* Habemus Dionysium Corinthiorum Episcopum in lib. IV. Hist. Eccles. Eusebij, cap. XXIII. sic loquentem: *τὴν σήμερον οὖν κυριακὴν ἁγίαν ἡμέραν διηγάγομεν, ἐν ᾗ ἀνεγνώκαμεν ὑμῶν τὴν ἐπιστολήν.* Habemus denique, ne plures alios hic commemorem ex Latinis Patribus, Tertullianum in Apolog. cap. XVI. sic disserentem: *Æquè si diem solis lætitiæ indulgemus, aliâ longè ratione quàm religione solis secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi à Iudaico more quem ignorant.* In lib. de Idolol. cap. XIV. *O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solemnitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicam diem, non Pentecosten.* Atque in lib. de Corona militis cap. III. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.*

Plurimùm faciunt ad Dominicæ diei commendationem, quæ Constantinus Imperator ait in lib. III. Cod. cap. *omnes Iudices*, Tit. XII. *de Feriis. Omnes judices vrbanæque plebes & cunctarum artium Officia Venerabili die solis quiescant.* Faciunt quoque plurimùm ista, quæ ibidem

ibidem leguntur, Leonis & Anthemij Imperatorum verba: *Dies festos Majestati altissimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem semper honorabilem, decernimus venerandum, vt à cunctis exsecutionibus excusetur. Nulla quemquam vrgeat admonitio; nulla fide jussionis flagitetur exactio; taceat apparitio, aduocatio delitescat; sit ille dies à cognitionibus alienus; præconis horrida vox silescat; respirent à controuersijs litigantes, habeant fœderis interuallum; simul ad se veniant aduersarij timentes; subeat animos Vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. Nec hujus tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quibuslibet patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicet Scena theatralis aut circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula. Etiamsi in nostro ortu & natali celebranda solemnitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ, proscriptionemque patrimonij sustinebit, si quis vmquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cujuscumque judicis apparitor prætextu negotij publici seu priuati, hæc, quæ lege hac statuta sunt, crediderit temeranda.* Facit etiam plurimùm Carolus M. in cap. CII. lib. VI. capitul. vbi dicit: *Placuit vt fideles diem Dominicum: in quo Dominus resurrexit, omnes venerabiliter colant. Nam si Pagani ob memoriam & reuerentiam deorum suorum quosdam dies colunt, & Iudæi more carnali Sabbatum canaliter obseruant, quanto magis à Christianis iste dies honorificè colendus est? Ne in illo Sancto die vanis fabulis, aut*

*aut locutionibus, siue cantationibus, vel saltationibus aut derisionibus, stando in biuijs & plateis, vt solet, inseruiant: sed ad Sacerdotem aut ad aliquem sapientem hominem & bonum, veniant, & eorum prædicationibus & bonis locutionibus, quæ ad animam pertinent, vtantur. Et illo die seu Sabbato ad Vesperas & ad Matutinas, siue ad Missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo* Kyrie eleison *decantent. Similiter & Pastores pecorum eundo & redeundo in campum & ad domum, faciant vt omnes eos veraciter Christianos & deuotos esse cognoscant.* Postremò plurimùm facit cap. xv. Concilij Ænhamensis generalis. An. D. MXX. celebrati. Ibi enim ex interpretatione Guillelmi ab Insula, qui Concilium illud Pan-Anglicum, Latinum fecit ex Saxonico, legere licet: *Festiuitatem diei Solis, prout ad eamdem pertinet, feruentiùs quisque obseruato, à mercaturis & conuentibus populi, putà sæcularibus & forensibus, à venatione etiam & mundanis operibus, in sancta illa die sedulus abstineto.*

Sed quo flagitio hic omiseram frequentatos à veteribus Christianis in diei Dominicæ solemnijs ritus quatuor, qui varijs ex SS. Ecclesiæ Doctorum locis eruuntur? eâ luce fidelem populum sacris in ædibus conuenisse ad lectionem, concionem, sacrificium, communionem, orationem & cetera id genus Christianæ pietatis officia, auctor est in Apologia II. S. Iustinus. Eâ luce à seruilibus abstinuisse operibus, eleemosynasque pauperum in vsus collegisse docet inter alios propemodum

dum innumeros S. Gregorius M. in Epist. lib. XI. Epist. III. Eâ luce *quam fecit Dominus*, in qua *exultare* debemus *& lætari*, non jejunasse, laudatus modò Tertullianus in lib. de cor. mil. cap. III. jam testatus est. Eâ deniquè luce, genua inter orandum non flexisse, sed stantes atque erectos precatos fuisse perhibent & Tertullianus eodem in loco, & Præfatione in Psalmos S. Hilarius, & in Epist. CXIX. ad Ianuarium S. Augustinus, & in cap. *Quoniam*, *Extra de Ferijs* Romanus Pontifex Alexander III. Quâ de re etiam editus est à Nicæni Concilij Patribus CCCXVIII. Canon iste numero XX. *Quoniam sunt in Dominica die quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecostes, propterea vtique statutum est à sancta Synodo; quoniam consona & conueniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est, vt stantes ad orationem vota Domino reddamus.*

## CAPVT V.

*De aliis festis quæ ab Apostolis instituta sunt, Paschate sc. Pentecoste & Adscensione Domini. Pascha annotinum quid sit?*

POst sabbatum in Dominicam diem conversum, Apostoli alia quoque festa instituerunt, Pascha videlicet, Pentecosten & Adscensio

Adſcenſionem Domini, quemadmodum indubitata Eccleſiaſticæ vetuſtatis monumenta commonſtrant.

I. Et quidem ab iis ſollemni cultu agitatum inſtitutúmque Paſcha, in gratam Chriſti Domini Reſurrectionis memoriam, quæ in antiquo Iudæorum Paſchate fuerat adumbrata, nemo inficias iuerit niſi ſacrarum rerum planè ἀμύητος. Manichæi tamen B. Auguſtini ætate, Paſchatis ſacrum diem non obſeruabant, vt Manichæi ducis & anteſignani ſui diem mortis celebrarent. Hoc ipſis eleganter exprobrat S. Auguſtinus in cap. VIII. libri contra epiſtolam Manichæi, quam vocant Fundamenti. *Quæro* (inquit) *quare exhorreatis cùm dicit catholica Eccleſia, eum in quo venit diuina ſapientia, natum eſſe de Virgine, cùm vos eum in quo Spiritum ſanctum veniſſe prædicatis, natum de fœmina viro mixta nihil horreatis? Quid ergo aliud ſuſpicer, neſcio, niſi quia iſte Manichæus qui per Chriſti nomen ad imperitorum animos aditum quærit, pro Chriſto iſto ipſo ſe coli voluit? hoc vnde conijciam, breuiter dicam. Cùm ſæpe à vobis quærerem illo tempore quo vos audiebam, quæ cauſa eſſet quod Paſcha Domini plerumque nullâ, interdum à paucis tepidiſſimâ celebritate frequentaretur, nullis vigiliis, nullo prolixiore ieiunio indicto auditoribus veſtris, nullo denique feſtiuiore apparatu, cùm veſtrum* Bema, *id eſt die quo Manichæus occiſus eſt, quinque gradibus inſtructo tribunali & pretioſis linteis adornato, ac in promptu poſito & objecto adorantibus, magnis honoribus proſequamini? hoc ergo cùm quærerem reſponde*

*respondebatur ; eius diem passionis celebrandum esse qui verè passus est, Christum autem qui natus non esset, neque veram, sed simulatam carnem humanis oculis ostendisset, non pertulisse, sed finxisse passionem. Quis non suspicetur qui diligenter attenderit, ideo negari à Manichæo Christum natum esse de fœmina & humanum corpus habuisse, ne passio eius, quod totius iam orbis festissimum tempus est, ab eis qui sibi credidissent celebraretur, & non tanta deuotione diem mortis suæ desiderata sollemnitas honoraret? hoc enim nobis erat in illa* Bematis *celebritate gratissimum, quod per Pascha frequentabatur, quoniam vehementius desiderabamus illum diem festum, subtracto alio qui solebat esse dulcissimus.*

Quo autem die frequentandum esset Christianorum Pascha, diu multúmque in Ecclesia veteri fuit disceptatum, quemadmodum ex Eusebij historiæ Ecclesiasticæ lib. v. capp. xxii. xxiii. & xxiv. & lib. iii. ex vita Constantini cap. v. xiii. xvi. & xvii. Sancti Ambrosij Epist. lxxxiii. Socratis histor. Eccles. lib. v. capp. xxi. Epiphanio in hæresi lxx. S. Isidoro Hispalensi Episcopo in lib. vi. Etymol. cap. xvii. aliisque scriptoribus Ecclesiasticis dignoscitur. *Pius primus* ( inquit Polydorus Virgilius in lib. vi. de inuent. rer. cap. vii. ) *Dominico die celebrandum constituit. Deinde orta dissensione super eâ re, Victor qui sedere cœpit anno circiter* cxcvi. *à natali seruatoris, sanxit ex sententia Eleutheri, cui in pontificatum successit, vt Pascha Dominico omnino celebraretur die, à* xiv. *luna primi mensis ad* xxii. *ne cum Iudæis*
*Christiano*

*Christianorum ratio congrueret, quibus moris fuit illud sollemne aliquanto prius celebrare. Id decretum externorum Antistitum quidam ab initio repudiarunt, rati se haud ineptè facere, qui nihil aberrarent à Ioannis instituto qui carissimus fuisset Christo, & satis constaret eum ipsum quoad vixisset, Iudæorum more Paschale tempus obseruasse. Polycrates Ephesius Episcopus de ea re scribens,* Nos (*inquit*) inuiolabilem celebramus diem, neque adijcientes quidquam neque minuentes. *Ita inter nostros eatenus est disceptatum, quoad ad eum quem nunc tenemus modum, illud sacrum sit constitutum celebratum iri, qui etiam quibusdam non satis probatur.* Quod autem ait sancitum, *vt Pascha Dominico celebraretur die à* XIV. *primi mensis ad* XXII. Id Alexandrinis Episcopis acceptum referendum est, quibus (quòd essent Ægyptij Mathematicarum rerum ob Nili incrementa, peritissimi) id negotij maximè commissum fuit à Nicænis Patribus, vt quo die singulis annis agitandum esset Pascha, diligentissimè inuestigarent, inuestigatumque Romano Pontifici per literas significarent, à quo vniuersi deinde totius Christiani orbis Episcopi redderentur certiores. Ita rem habuisse testatur S. Leo magnus in Ep. LXIV. ad Marcianum Augustum, vbi ait: *Paschale festum, quo Sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quamuis in* I. *semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, vt plerumque sacratissimæ diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque quod non licet, vt non simul omnis*

*Ecclesia, quod non nisi vnum esse oportebat, obseruet: studuereque SS. Patres ( Nicæni ) occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitùs tradita esse videbatur peritia, per quã, quamuis annis singulis dies prædicta solemnitatis eueniret, sedi Apostolicæ indicaretur, vt hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret.*

Nicæna verò Synodus disceptationem omnem de agendo Paschate compescuit, vt ex eo Decreto constat, quod Turrianus refert in lib. v. defensionis pro Canonibus Apostolorum & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, cap. xvii. ex Actis ejusce Synodi collectis à Ioanne cognomento ἀπὸ σχολαστικῶν Patriarcha Constantinopolitano, qui Iustiniani Imperatoris æuo, Synodorum decreta vnum in volumen contulit. Sic enim habet in Codice veterrimâ manu scripto, Bibliothecæ Vaticanæ: Πέπρακται δὲ οὕτως· τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἱερᾷ συνόδῳ συνελθοῦσι ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ θεοσεβοῦς καὶ μεγάλου βασιλέως Κωνσταντίνου, ὃς οὐ μόνον τοὺς προγεγραμμένους ἐπισκόπους εἰς αὐτὸν, εἰρήνην ποιούμενος τῷ ἔθνει ἡμῶν, ἀλλὰ γὰρ καὶ συμπαρὼν τῇ τούτων ὁμηγύρει συνζητεῖ τὰ συμφέροντα τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ· ἐπειδὴ τοίνυν ἐξεταζομένου τοῦ πράγματος περὶ τοῦ δεῖν, συμφώνως ἄγειν τὸ πάσχα ἅπασαν τὴν ὑπουράνιον, εὑρέθη τὰ τρία μέρη τῆς οἰκουμένης συμφώνως ποιοῦντα Ρομαίοις, καὶ Ἀλεξανδρεῦσι, ἓν δὲ κλίμα τῆς ἀνατολῆς ἀμφισβητοῦν; ἔδοξε πάσης ζητήσεως περιαιρετείσης καὶ ἀντιλογίας · οὕτως

οὕτως ἄγειν, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν τῇ ἀνατολῇ, ὡς ἄγουσι Ῥωμαῖοι καὶ Ἀλεξανδρεῖς καὶ οἱ λοιποὶ πάντες, πρὸς τὸ πάντας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τὸ πάσχα ἐπιτελεῖν. καὶ ὑπέγραψαν πάντες οἱ τῆς ἀνατολῆς οἱ διαφωνοῦντας πρὸς τοὺς ἄλλους. Quare qui Nicænæ Synodo interfuit S. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, Domino noſtro, quòd de ſacro illo feſto in concordiam itum ſit, gratias rependit in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos. Verùm etſi in Concilio Nicæno definitum fuerit, Paſcha eſſe à Chriſtianis peragendum Dominicâ die proximâ Lunæ XIV. poſt vernum Æquinoctium, idque ſecundùm B. Petri Romanis factam traditionem, vt teſtatur in Hiſtor. Anglic. lib. III. cap. XXV. Venerabilis Beda; etſi regulæ tres ad inueniendum Paſchatis diem à Nicæno Concilio præſtitutæ, ſeruatæ ſint abhinc ſemper in Eccleſia, hodie quoque ſeruentur; quia tamen Nicæni Concilij temporibus nec Solis, nec Lunæ motus diligenter & ad amuſſim fuerat animaduerſus, ſæpiſſime in eo die computando erratum eſt, donec anno MDLXXXI. Gregorius XIII. anni curſu ad Solis motum reducto Eccleſiaſticum Kalendarium emendauit, vetuſtúmque circa Paſcha errorem diuino beneficio abſtulit, ac diſpunxit.

Aliud ab antiquis commemoratur Paſcha, quod *annotinum* vocant, cujus ad intelligentiam, ſatis erit heic recenſere quæ Micrologus habet in cap. LVI. his verbis: *Romani annotinum Paſcha quaſi anniuerſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos qui in priori Paſ-*

*cha baptizati erant, in sequenti anno eadem die ad Ecclesiam conuenere, suæque regenerationis anniuersarium diem cum oblationibus solemniter celebrauerunt. Sed quamuis hujusmodi anniuersarius à paucis vspiam obseruetur, authentici tamen libri ipsum obseruari debere inueniunt, qui nobis Lectionem & Euangelium sub titulo Paschæ annotiui, annuatim præscribunt. Si enim quilibet suum natalem, quo ad æternam mortem natus est, obseruat: quanto magis illum obseruare deberet, quo ad æternam vitam regeneratus est.*

Festum quoque Pentecostes diem ab Apostolis ordinatum seruatúmque liquidò comprobant, qui eius meminere S. Paulus & S. Lucas. Ille in prioris ad Corinth. Episc. cap. xvi. his verbis: *Manebo Ephesi vsque ad Pentecosten*; hic autem in Act. Apost. cap. xx. in quo agens de beato Paulo sic loquitur: *Festinabat vt si quomodo posset, Pentecosten ageret Hierosolymis.* Duo enim illa Scripturæ sacræ testimonia, non de Iudæorum, sed de Christianorum Pentecoste accipienda docet S. Epiphanius in Hæresi lxxv. hinc de posteriori sermonem instituens Polydorus Virgilius in lib. vi. de inuent. rer. cap. viii. ita fatur: *Quamquam sunt qui tradant Pentecostes diem non fuisse festum Apostolorum temporibus; in qua re eos hallucinari planè ostendit Lucas in Actis cap. xx. ita scribens:* Proposuerat enim Paulus præternauigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia, festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes ageret Hierosolymis, &c. *Cur tanto Paulus opere ad illum ipsum diem agitandum*

*tandum properasset, nisi fuisset jam tum apud nostros festus quàm celebratissimus?* Sanè festum exstitisse testis est Tertullianus, qui eum in lib. de idolo. cap. XIV. & de coro. mil. cap. III. vnâ cum Dominicæ diei ac Paschatis celebritatibus, quas ab ipsis Apostolis indictas jam ostendimus, ita recenset: *Die Dominico nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Pascha in Pentecosten vsque gaudemus.*

Pentecostes autem, seu (vt appellant alij) Quinquagesimæ nomine, non intelligunt Ecclesiasticarum rerum tractatores, Quinquagesimum post Pascha diem solummodo, sed totos illos quinquaginta dies post Pascha, qui lætitiæ penitùs dicati sunt & consecrati. Illud enim apertè loquuntur S. Lucas, Tertullianus, Concilium Nicænum, S. Hilarius, & S. Isidorus Hispalensis Antistes. S. Lucas Actor. cap. II. dum ait. *Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco,* &c. Tertullianus in præfati de idololatria libri cap. XIV. in quo scribit: *Ethnicis semel annuus dies quisque festus est: tibi octauo quoque die excerpe singulas solemnitates nationum & in ordinem texe, Pentecosten implere non poterunt.* Concilium Nicænum in Can. XX. quem extremo cap. IV. produximus. S. Hilarius Prologo in Psalmorum explanationem, post medium, vbi dicit: *Hæc quidem Sabbato Sabbatorum ea ab Apostolis religione celebrata sunt, vt his Quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque jejunio festiuitatem*


*spiritualis hujus beatitudinis impediret.* Et S. Isidorus in lib. I. de Ecclef. Off. cap. XXXIII. in quo legitur: *Idcirco totius Quinquagesimæ dies post Domini resurrectionem resolutâ abstinentiâ in sola lætitia celebrantur, propter figuram futuræ resurrectionis, vbi jam non labor, sed requies erit lætitiæ: ideóque his diebus nec genua in oratione flectuntur, quia (sicut quidam sapiens ait) inflexio genuum pœnitentiæ & luctûs indicium est.* Quo etiam sensu *Pentecostes* vocabulum sumitur à S. Irenæo in Orat. de Pascha (quæ à S. Iustino Martyre laudatur, quæst. & resp. ad orthod. cap. CXV.) à S. Basilio de Spiritu S. cap. XXVII. à S. Epiphanio iu Epito. Cathol. fid. à S. Hieronymo in libris aduersus Montanum & Luciferianos, & à S. Augustino in Epist. CXIX. ad Ianuarium.

Denique Adscensionis Dominicæ festum diem, non secus ac Paschatis & Pentecostes ferias, ab Apostolis auctoribus manasse, in epist. CXVIII. paulo post initium, adseuerat idem S. Augustinus, his vocibus: *Illa quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri: sicuti quod Domini passio & Resurrectio & Adscensio in cœlum, & aduentus, de cœlo Spiritus sancti anniuersaria sollemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit quod seruatur ab vniuersa quacumque se diffundit Ecclesia.*

Porrò vtrum alia præter Dominicam diem,

Pascha,

Paſcha, Pentecoſten, atque Adſcenſionem Domini, feſta fuerint ab Apoſtolis inſtituta, nolim ego adſeuerantiùs profiteri. Alia quidem ſcio à Clemente Romano in libris apoſtolicarum conſtitutionum numerari. At quoniam nullius ferè ponderis ſunt in Latina Eccleſia iſti libri, nonnullíſque erroribus conſpurcantur, intra modeſti ſilentij cancellos hac in parte malo memeipſum continere, quàm aliquid à veritate alienum è perturbatis illis, cœnosíſque fontibus meos in commentarios deriuare.



## CAPVT VI.

*Cur nulla Chriſti feſta ætate Chriſti inſtituta? cur Sanctorum nulla viuentibus Apoſtolis? Smyrnenſis Eccleſiæ, Origenis, ac S. Cypriani illuſtria de feſtorum dierum antiquitate teſtimonia adferuntur; & de quibus feſtis reſcindendis agatur in hoc opere, explicatur.*

ERgo cùm Apoſtoli quatuor illas ſaltem modò recenſitas ferias decreuerint, nullas viuente Chriſto ad nouam attinentes legem obſeruatas ab iis fuiſſe, ſiue ipſius Chriſti, ſiue Sanctorum, apertè ſatis colligitur. *Non enim*

(inquit Franciscus Sonnius Buscoducensis Episcopus in lib. III. demonstrationum religionis Christianæ ex verbo Dei, tract. IV. de sabbato & festis sanctificandis, cap. VIII. ) *Celebrari debet in terris, nisi quod glorificatum est in cœlis. At tunc temporis nec Christus glorificatus erat, nec aliquis Sanctorum.* Posteaquàm verò cœlum conscendit Christus, æternóque patri à dextris assidens promissum Spiritum sanctum demisit, tunc Christi festa quædam agitari cœperunt, & ea præsertim quæ in supremo capite attigimus, non vtique aliorum Sanctorum alia: *Quia prius debebat Ecclesia fundari*, ( ibidem ait Sonnius ) *deinde suis sollemnitatibus exornari. Ad hæc tum temporis duces fidei & magistri religionis adhuc nobiscum agebant sub ergastulo moritura carnis, ipsi mortales sicuti & nos. Quomodo igitur coli potuissent nondum glorificati?* Et quamquam eorum aliqui, puta Innocentes pro Christo occisi infantes, S. Ioannes Baptista Christi Præcursor, S. Stephanus Martyrum princeps, & S. Iacobus Apostolus cognomento minor, longo ante alios tempore Martyrij palmam consecuti fuerint; *nihilominus tamen* ) pergit Sonnius ) *neque coli statim debebant, nec palàm festiuitatibus celebrari, in medio nationis praua, idque à ceteris Apostolis. Nimirum ne suspicio fieret quòd non purè adnunciarent veritatem, sed suos ambirent, suorúmque fratrum honores; studentes in hoc abolere cultum Deorum Gentilium, vt suos suorúmque honores possent substituere.* Nullos igitur nisi diuini Præceptoris sui festos dies egerunt Apostoli, nullos

cælitum

cœlitum qui ante eos hominem exuerunt. At
processu temporis eorum successores Episcopi
ex commissâ sibi à Christo Domino, in rebus
Ecclesiasticis auctoritate, alias quoque ferias,
quarum aliquæ per vniuersam Ecclesiam, ali-
quæ in priuatis tantùm vrbibus, oppidis &
etiam vicis frequentarentur, Christiano po-
pulo indixerunt. Quemadmodum enim de
plebe hominem in Christi Sacerdotem ac mi-
nistrum consecrandi facultas penes Episco-
pos est: quemadmodum profanam ædem suâ
benedictione Deo dicare possunt Pontifices;
cur non & ijdem operarium actuosúmque
diem, religiosum sacrúmque faciendi pote-
tate pollebunt? Et reuerâ festorum dierum
obseruationem jam ab antiquis Ecclesiæ tem-
poribus vsitatam fuisse, multa innuunt vete-
rum Scriptorum testimonia, quorum aliqua
heic in specimen commemorare satis erit,
vt vel ex ijs vnis omnia ferè recentiorum
hæreticorum de Christianorum solemnijs
commenta ac mendacia refellantur.

Primum testimonium Ecclesiæ Smyrnensis
est, quæ in Epistola ad Ecclesias Ponti, post
narratum S. Polycarpi B. Ioannis Euange-
listæ discipuli, Martyrium, post collecta il-
lius ossa, ac decenti tumulo commendata,
futurum se sperare ait, vt Deus Natalem S.
Martyris diem cum Hilaritate & gaudio ce-
lebrare concedat, tum in eorum qui glorioso
certamine perfuncti sunt memoriam, tum
etiam ad posteros eiusmodi exemplo erudien-
dos atque confirmandos. Οὕτως τε, ἡμεῖς ( in-

quit illa apud Eusebium in lib. iv. Hist. Eccles. cap. xv.) ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ (Πολυκάρπου) ἀπεθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν.

Alterum Origenis est hom. iii. in diuersos Euangelij locos; in qua de SS. Innocentibus ita loquitur post medium: *Horum memoria semper, vt dignum est, in Ecclesijs celebratur, secundùm integrum ordinem Sanctorum, vt primorum Martyrum pro Domino occisorum, & vt ipsa Betlehem primitias Domino martyrum, in qua natus est ipse Saluator, obtulisse videatur.* Et post pauca: *Imago ergo fuerunt gentium isti sancti infantes, qui pro Domino sunt occisi. Bene ergo & secundum voluntatem Dei eorum memoriam Sancti Patres celebrare mandauerunt sempiternam in Ecclesijs, velut pro Domino morientium, velut pro Iudæis & gentibus credituris, vel etiam pro ipsis parentibus. Quorum parentes præ nimio dolore percutiebantur, vt eis intercessio filiorum apud Deum plurimum profuisset.* Ac sub finem Homiliæ: *Hi ergo cùm injustè vel impiè occiderentur, in pace, in quiete multa pro nomine Domini passi, de hoc mundo sublati sunt, in Ecclesia æterna per sæcula in Christo mansuri.*


Tertium denique S. Cypriani est, tum in Ep. xxxiv. ad Clerum & plebem de Celerino lectore ordinato, vbi scribit: *Laurentius &*

*ẏ Ignatius, in castris & ipsi quondam sæcula-
ibus militantes, sed veri & spiritales Dei mili-
es, dum diabolum Christi confessione prosternunt,
'almas à Domino & Coronas illustri Passione
meruerunt. Sacrificia pro eis semper (vt memi-
istis) offerimus, quoties Martyrum Passiones &
ies anniuersariâ commemoratione celebramus.*
'um etiam in Ep. xxxvii. ad Clerum, in
ua dicit: *Cùm voluntati & confessioni nostra
ı carcere & vinculis accedit & moriendi terminus,
nsummata martyris gloria est. Denique & dies
rum quibus excedunt adnotate, vt commemo-
ationes eorum inter memorias Martyrum celebrare
ossimus. Quamquam Tertullus fidelissimus &
euotissimus frater noster pro cetera sollicitudine
r curâ suâ quam fratribus in omni obsequio ope-
ationis impertit, scripserit & scribat ac significet
ıihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad
nmortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt,
r celebrentur heic à nobis oblationes & sacrificia
commemorationes eorum, quæ citò vobiscum,
omino protegente, celebrabimus.*

Receptissimi itaque erant vel à primis
hristianæ religionis sæculis, stati ac so-
mnes in beatorum Christi Martyrum atque
onfessorum honorem dies, qui procul dubio
on multùm diuersi ab ijs erant, quos festos
riatosque nominamus.

In eo autem libro toto festos dies dum lo-
ıor, eos solummodo appellare animus est,
ıorum ratio apud nos operum & laborum
ıbet requiem; non verò ceteros omnes al-
rius generis & ordinis, quorum adeo nu-
merosa

merosa erat jam à tertia Ecclesiæ ætate multitudo, vt Imperatori Constantino M. eâ de re interroganti responderit Eusebius Cæsariensis Episcopus singulis cujuslibet anni diebus, *plusquàm quinque millia Sanctorum festa concurrere*, quemadmodum refert Ioannes Belethus Parisiensis Theologus, in breuis explicationis diuin. off. cap. CLIV. his verbis: *Constantinus Imperator cùm ad oras transmarinas proficisceretur, inuenit Eusebium virum sanctissimum, cui dixit:* Vir sancte, pete à me quo tua Ecclesia ditetur. *Ille verò respondit*: Ecclesiam suam satis diuitijs abundare, sed se rogare vt in omnibus mundi plagis scrutetur nomina Sanctorum & eorum Passionum tempora, ac sub quibus, & quemadmodum passi sunt, rescribat. *Quo quidem facto refert Eusebius, quolibet anni die plusquam quinque millia Sanctorum festa concurrere. Exceptâ die Kalendarum Ianuarij* ( inquit Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus in lib. VII. Rational. diuin. off. cap. I. num. XXVIII. ) *quâ intendebant Gentiles epulis & solemnitatibus, non ad Martyrisandum Sanctos.* Quinam igitur fuerint diuersis temporibus illi dies qui Christianis verè ac propriè festi nuncupantur, seu quibus adjuncta est laborum remissio, nobis nunc inuestigandum relinquitur, vt postea quinam nostro ex albo eradendi sint, leuiori brachio dijudicemus.



## CAPVT VII.

### *Quæ festa* IV. *Ecclesiæ sæculo ab Imperatoribus Valentiniano Theodosio & Arcadio commemorentur?*

PRimo Ecclesiæ sæculo Dominicam lucem Paschatis, Pentecostes, & Adscensionis Domini festos dies ab Apostolis institutos, omnibus Christianæ religionis Professoribus agitatos fuisse, jam satis, nî fallor, ex ijs euincitur quæ in cap. IV. & V. suprà dissèruimus. Eadem omnino solemnia, & alia etiam nonnulla (vt verosimilius videtur, II. & III. Christi ætate obseruata fuisse, non video quî negari possit, nisi fortassis quia pauca admodum de celebritatibus nostris posterorum memoriæ commendauerunt eorum temporum Scriptores. Constantinus Magnus, qui IV. sæculo ineunte regnare cœpit, Misso Gentilium sibi subjectorum Præfectis edicto, jussit eos Dominicam diem, Martyrum festa, aliásque id genus ferias in Ecclesijs celebrare, quemadmodum Eusebius narrat hunc in modum lib. IV. de vita Constantini, cap. XXIII. Τοῖς κατ' ἔθνος δ' ἄρχουσιν ὁμοίως τὴν κυριακὴν ἡμέραν νόμος ἐφοίτα γεραίρειν, τῷ νεύματι βασιλέως, καὶ μαρτύρων ἡμέρας ἐτίμων, καιροὺς θ' ἑορτῶν ἐκκλησίαις ἐδόξαζον. πάντα τε βασιλεῖ καταθυμίως τὰ τοιαῦτα ἐπράττετο. Sed quoniam

niam de ſacris illis diebus vniuerſaliùs præcepit Conſtantinus, neque qui fuerint ſingillatim illi certò poteſt ex Euſebij verbis intelligi; ad alios Imperatores confugimus, qui quas ſolemnes ferias IV. ſæculo habuerit Orientalis & Occidentalis Eccleſia, nos edoceant.

Ii verò ſunt Valentinianus, Theodoſius & Arcadius, quorum hæc verba legere eſt in cap. *Omnnes dies*, lib. III. Codicis, Tit. XII. de ferijs: *Omnes dies jubemus eſſe juridicos. Illos tantùm manere feriarum dies fas erit, quos geminis menſibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit, æſtiuos feruoribus mitigandis, per autumnos fructibus decerpendis. Kalendarum quoque Ianuariarum conſuetos dies otio mancipamus. His adjicimus natalitios dies maximarum vrbium, Romæ & Conſtantinopolis, in quibus debent jura differri, quæ ab ipſis nata ſunt: ſacros quoque Paſchæ dies, qui ſepteno numero vel præcedunt, vel ſequuntur: dies etiam natalis atque Epiphaniarum Chriſti, & quo tempore commemoratio Apoſtolicæ Paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ, à cunctis jure celebratur (in quibus etiam prædictis ſanctiſſimis diebus neque ſpectaculorum copiam reſeramus) in eadem obſeruatione numeramus. Et dies ſolis, quos Dominicos ritè dixêre majores, qui repetito in ſe calculo reuoluuntur, in quibus parem neceſſe eſt habere reuerentiam, vt nec apud ipſos arbitros à judicibus flagitatos, vel ſponte electos, vlla ſit cognitio jurgiorum. Noſtris etiam diebus, qui vel lucis auſpicia, vel ortus Imperij protulerunt. In quindecim*

*autem*

*em Paſchalibus diebus compulſio annonariæ ctionis & omnium publicorum priuatorúmque torum differatur exactio.*

Idem præterea Theodoſius A. in cap. *vt in* , ita de ferijs eloquitur: *Vt in die Domini- emancipare ac manumittere liceat, reliquæ ſæ vel lites quieſcant. Et à die* VIII. *Kalen- um Iulij vſque in Kalendas Auguſti, meſſis a concedatur: & à Kalendis Auguſti vſque decimum Kalendarum Septembris, agendarum ſarum tribuatur licentia. A decimo autem Ka- darum Septembris vſque in idus Octobris, vin- nialis feria concedatur. Sanctum quoque diem ſchæ, & diem natalis Domini, & Epiphaniæ, tem qui præcedunt, & ſeptem qui ſequuntur, e ſtrepitu volumus obſeruari: & quod contra c ſtatutum fuerit, omnibus modis irritatur.* um in lib. v. de ſpectaculis, ad Aſclepiado- n PP. de ſacris feſtíſque diebus religiosè nctéque abſque ſpectaculorum impuritate ruandis, iſta ſcribit apud Baronium ad an. hriſti CCCCXXV. num. VI. *Dominico, qui ſe- imanæ totius primus eſt dies, & natale atque iphaniorum Chriſti, Paſchæ, & in Quinquage- næ diebus, quamdiu cœleſtis lumen lauacri imi- ntia nouam ſancti baptiſmi lucem veſtimenta ſtantur, quo tempore & memoratio Apoſtolicæ aſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ, à cunctis tè celebratur, omni theatrorum, atque Circenſium oluptate per vniuerſas vrbes earumdem populis enegatâ, totæ Chriſtianorum ac fidelium mentes ei cultibus occupentur.* Quæ quidem verba tiamſi cum capite, *Omnes dies*, aliquomodo

conueniant,

conueniant, ab ipſo tamen diuerſa ſunt, & diuerſo tempore prolata. Illud enim datum legitur II. *Id. Auguſt. Romæ Timaſio & Promoto Coſſ.* hæc autem *Kal. Februarij, Conſtantinop. Theodoſio A.* XI. *& Valentiniano Cæſ. Coſſ.*


Quamquam verò tres illi Imperatores, duobus præſertim prioribus in locis, de ijs ſolùm ferijs ſermonem habere videantur, quibus ab omni judiciali ſtrepitu parentes ditioni ſuæ populos volunt ſuperſedere; quæ tamen fuerit eorum de feriatis diebus, cujuſmodi aguntur apud nos, ſententia, quóſque feſtos dies præ alijs ſeruandos mandauerint, planè & apertè ex illa duplici conſtitutione colligitur. Et reuerâ priorem Valentiniani, Theodoſij & Arcadij conſtitutionem de propriè dictis diebus feſtis indicat accipiendam Photius in nomo-Canone tit. VII. cap. I. vbi ſic eam coegit in compendium: ἀπρακτοί εἰσιν αἱ πρὸ τοῦ Πάσχα ζ'. ἡμέραι καὶ ζ'. μετὰ τὸ Πάσχα, καὶ ἡ χριστουγέννα, καὶ τὰ θεοφανία, καὶ ἡ τοῦ πάθους τῶν Ἀποστόλων, καὶ ἡ κυριακή. καὶ ἐν ταῖς τοιαύταις ἡμέραις, οὔτε θέα τελεῖται, οὔτε δίκη λέγεται. Poſterius autem, quod vnius Theodoſij eſt, & à Baronio memoratur, teſtimonium, de veris Eccleſiæ Catholicæ feſtis accipiendum eſſe qui non vident, nihil eos videre neceſſe eſt, neque ad hæc vltima verba animum ſuum appellere: *Tota Chriſtianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.*

Ecce igitur tibi dies feſti, quos IV. ſæculo Chriſtiani illi Imperatores, ſeruandos præceperunt;

-unt; nimirum Dominicus dies, Pascha, -risti natalis, Epiphania, seu Theophania, Apostolorum Petri ac Pauli, seu omnium -njunctim Apostolorum commemoratio, se-em qui Pascha antecedunt, & qui subsequun-r septem dies. Vix enim crediderim Theodo-im cap. *vt in die*, septem dies, qui Natalem -omini & Epiphaniam præcedunt, vnà cum -quentibus septem, festis accensere, quantum-is dicat: *Sanctum diem Pascha, & diem natalis Domini & Epiphaniæ; septem qui præcedunt & septem qui sequuntur, sine strepitu volumus obseruari.* Siquidem illas voces (*septem qui præcedunt & septem qui sequuntur*) ad *Sanctum diem Paschæ* solùm referendas, Theodosius ipse cap. *omnes dies*, itemque Photius in citato loco, contestantur, vbi vnicum natalis Domini vnicúmque Epiphaniæ celebritati diem assignant. Quare caput, *vt in die*, eo modo legendum reor & emendandum: *Sanctum quoque diem Paschæ, septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur, & diem natalis Domini, & Epiphaniæ, sine strepitu volumus obseruari.* Sed vereor ne falcem in alienam messem injiciam dum Iureconsultorum libros ad examen reuoco. Verumtamen quia leges omnibus latæ sunt, omnibus datæ, quis me ab earum rectâ intelligentiâ procurandâ possit aliquo jure summouere?

Vnum adhuc in præfatis Imperatorum constitutionibus obseruatione dignissimum superest adnotandum; quòd nimirum Pentecostes & Adscensionis Dominicæ festa non recenseant,

recenſeant, quæ nobis ab Apoſtolis quaſi datatim ac per manus tradita ſunt. An ea Imperatoribus illis dicemus incognita? An ab ijs antiquata? An potiùs per incuriam omiſſa? Equidem ego (ſi liberè loqui liceat) non reſciſſum Pentecoſtes feſtum, ſed Dominicæ diei, quâ agitari ſolet, nomine ſignificatum: Adſcenſionis autem Dominicæ feriam, abrogatam adſeuerare non dubitabo, cùm & in cap. vii. Concilij Toloſani, an. D. Mccxxviii. apud Clariſſ. Acherium, Tom. II. Spicilegij veterum Scriptorum, abrogata reperiatur. Quod quo pacto fieri potuerit, alijs relinquo judicandum.



## Capvt VIII.

### *Quæ feſta* vi. *ſæculo percenſeant Concilia Galliæ, Agathenſe, Aurelianenſe* i. *& Aruernenſe?*

Qui fuerint vi. Eccleſiæ ætate præcipui dies feſti, tria Galliarum noſtrarum Concilia, id temporis celebrata, Agathenſe, Aurelianenſe i. & Aruernenſe manifeſtant.

Agathenſe quidem Prouinciale quod anno Chriſti dvi. Alarici Gothorum in Gallia regis xxii. & Symmachi Papæ viii. ab Epiſcopis xxxv. coactum eſt, quibus diebus Catholici communicare debeant, exponens in can. xviii. tres tantummodò ferias ſolemnes ſic enumerat:

enumerat: *Sæculares qui Natale Domini, Pascha & Pentecosten non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Idipsum facit in can. LXIII. idem Concilium vbi ait: *Ciues, qui superiorum solemnitatum, id est Paschæ, ac Natalis Domini, vel Pentecostes festiuitatibus, cum Episcopis interesse neglexerint (cùm in ciuitatibus communionis vel benedictionis accipiendæ causâ positos se nôsse debeant) triennio à communione priuentur Ecclesiæ.* Atque his tribus maximis celebritatibus solitos fuisse Anglicani regni proceres regi suo adesse, testatur Henricus Spelmanus Eques Auratus, tum in notis ad Concilium Ænhamense Generale, tum etiam in notis ad Concilium Kingesburiæ sub Berthulpho rege Merciorum an. Domini DCCCLI. sic enim ait: *Ex more & obsequij vinculo antiquissimo tenebantur, proceres in tribus maximis festiuitatibus, Christi scilicet Natalitijs, sancti Paschatis & Pentecostes, Regi annuatim adesse, cum ad curiam & personam ipsius exornandam, tum ad consulendum de negotijs regni, statuendúmque prout fuerat necessarium.* In Canone posteà LXIV. Epiphaniæ festum tribus alijs accenset Concilium Agathense, his verbis: *Si quis in Clero constitutus ab Ecclesia sua diebus solemnibus defuerit, idest Natiuitate Domini, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, dùm potiùs sæcularibus lucris studet, quàm seruitio Dei paret, conuenit ut triennio à communione suspendatur.* Quibus postremò Adscensionem Domini, & natalem S. Ioannis Baptistæ superaddit in Canone XXI. in quo

statuit:


ſtatuit : *Si quis etiam extra Parochias in quibus legitimus eſt ordinariuſque conuentus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis feſtiuitatibus vt ibi miſſas teneat propter fatigationem familiæ, juſtâ ordinatione permittimus. Paſcha verò, Natale Domini, Epiphania, Adſcenſionem Domini, Pentecoſten & natalem S. Ioannis Baptiſtæ, & ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habentur, non niſi in ciuitatibus aut in Parochÿs teneant. Clerici verò, ſi qui in feſtiuitatibus quos ſuprà diximus, in Oratorijs, niſi jubente aut permittente Epiſcopo, miſſas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.* Quo quidem ex Canone quænam fuerint anno dvi. primi ordinis feſta haud difficiliter infertur, non verò quænam inferioris ordinis, quæ *reliquarum feſtiuitatum* appellatione coërcentur. Vnum porrò eſt quod in ejuſce Concilij verbis vehementer miror, nullum videlicet dicatorum Deiparæ virginis honori dierum ab eo inter præcipuas Eccleſiæ celebritates numerari, nullámque penitùs eorum fieri mentionem.

Concilium Aurelianenſe i. Prouinciale ſub Symmacho Romano Pontifice, & Clodoueo Francorum rege anno Chriſti dxi. habitum tres eaſdem majores anni ferias commemorat, quaş ſuprà in Canonibus xviii. & lxiii. Agathenſe Concilium : *Nulli ciuium* ( inquit in cap. xxvii. ) *Paſcha, Natalis Domini & Quinquageſimæ ſolemnitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.* In omnibus ferè hujus Concilij exemplaribus excuſis, loco *Quinquageſimæ*

*ſimæ* legitur *Quadrageſimæ*; quam & lectionem obſeruare licet in III. parte Decreti, de conſecratione, diſt. III. cap. v. *nulli ciuium.* At legendum *Quinquageſimæ* ex ijs rationum ponderibus liquet I. quia S. Ivo Carnotenſis Epiſcopus ita legit. II. quia Burchardus legit *Pentecoſtes*, quæ vox à Græcis quæſita, Latinis *Quinquageſimam* ſonat. III. Quia præfatis in locis Concilium Agathenſe, cujus ex verbis confectus videtur ille canon, & Concilium Aruernenſe in can. xv. habent *Pentecoſtes.* Denique quid ſibi vellet *Quadrageſimæ ſolemnitas?* An totum Quadrageſimale tempus? At quis audiuit vnquam illud celebriori cultu & eodem quo Paſcha ac Domini natalem, fuiſſe frequentatum. Imò toto illo tempore celebritates Martyrum aliorúmque cœlitum vllas agitari vetant Concilium Leodicenum in canonib. LI. & LII. ac Toletanum x. in can. I. Pentecoſten ergo, Paſcha & natalem Chriſti diem eo Canone nominat Aurelianenſe Concilium I. Alios prætetea quatuor dies feſtos loquitur in Canone XIX. dum ait: *Rogationes, id eſt Litanias ante Adſcenſionem Domini placuit celebrari ita vt præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Adſcenſionis ſolemnitate ſoluatur. Per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuerſa conueniat. Quo triduo abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis vtantur.* Vnde ſeptem ad minus ferias, tres majores, Paſcha nimirum, Pentecoſten & Natalem Domini, ac minores quatuor, videlicet tres Rogationum dies & Adſcenſionem Chriſti agnouiſſe

agnouisse Concilium illud innotescit.

Tres etiam præcipuas agnouit Aruernense Concilium, quod Binius actum putat an. Christi DLXI. Sirmondus autem an. DXXXV. IV. idus Nouembris, Agapeti Papæ I. Childeberti Regis XXIV. & Theodeberti II. *Si quis* (inquit Concilium in can. XV.) *ex presbyteris aut Diaconis qui neque in ciuitate neque in Parochijs Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in Oratorijs Officio sancto deseruiens celebrat diuina mysteria, festiuitates præcipuas, Domini Natale, Pascha & Pentecosten, & si qua principales sunt reliquæ solemnitates, nullatenus alibi nisi cum Episcopo suo in ciuitate teneat.* Quibus in verbis nihil mihi obseruatu dignum apparet, quod jam ad can. XXI. Agathensis Concilij non fuerit adnotatum.



## Capvt IX.

### *Quæ festa* VII. *sæculo enumeret Remense Concilium.*

Apertiùs multò enucleatiúsque Agathensi, Aurelianensi I. & Aruernensi Concilijs, de diebus festis loquitur Remense Concilium, anno DCXXX. celebratum. Illa enim dum vel celebriores, vel minus præcipuos referunt, alios quosdam indicant, sed obscuriùs, quàm vt omnium simul numerus certò dignoscatur. Vnde post enumeratas aliquot

feriás


ferias id ait Agathense Concilium in can. XXI. *Et si qui maximi dies in festiuitatibus habentur*; & Aruernense etiam in can. XV. *Etsi quæ principales sunt reliquæ solemnitates.* Concilium autem Remense, fixum Christianorum omnium festorum suo tempore, hoc est VII. Ecclesiæ sæculo, suáque in Prouinciâ seruatorum numerum exponit, singuláque tum illustriora, tum minus nobilia sic exhibet in Canone XX. *Festa absque omni opere forensi excolenda & cum debita veneratione celebranda hæc sunt: Natiuitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Adnuntiatio Beatæ Mariæ, Resurrectio Domini cum die sequenti, Adscensio Domini, dies Pentecostes, Natiuitas beati Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Assumptio Beatæ Mariæ ejusdémque Natiuitas, Andreæ Apostoli & dies omnes Dominicales.*

Creuerant jam hujus Cōcilij ætate festi dies, quandoquidem ijs, qui jam ex Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio, atque ex Concilijs Agathensi, Aurelianensi I. & Aruernensi, prænotati sunt, adduntur festa Circumcisionis, Annunciationis Beatæ Mariæ, ejusdémque Assumptionis ac Natiuitatis, necnon & S. Andreæ Apostoli & feria I. post Pascha. Sed neque etiam heic silentio prætermittendum est ab eo Concilio superiùs memoratas aliquot ferias, fuisse abrogatas. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AA. in capitibus *vt in die* & *omnes dies*, ac post illos Photius in Nomo-can. tit. VII. c. I. septem ante Pascha, septémque post Pascha dies festis adnumerauerant;

adnumerauerant; at eorum vndecim profeſtos declarat Remenſe Concilium, *Reſurrectionem Domini cum die ſequenti* Tantummodo, dum imperat, Rogationum tres dies Aurelianenſe Concilium I. in Canone XXIX. ab opere ſeruili vacuos eſſe debere ſanxerat. Silet ea de re Concilium Rem:nſe.

Ex iis autem quæ de Natiuitatis beatæ Mariæ feſto decreuit, facile eſt Baronium Cardinalem confutare, qui in Romani martyrologij notis ad diem ſeptembris octauum iſta tradit: *Conſtat Gallicanam Eccleſiam etiam temporibus Karoli Magni & Ludouici Pij eam* ( Sollemnitatem Natiuitatis S. Mariæ ) *ignoraſſe.* Contrà enim ex illo canone XX. conſtat Gallicanam Eccleſiam, longè ante Karoli Majoris & Ludouici Pij Imperatorum tempora, Deiparæ Virginis Natalem inter ſollemnes ſuos religioſóſque dies computaſſe; cum IX. ſæculo tantùm imperauerint Karolus Magnus eiúſque Filius Ludouicus Pius: Remenſe verò Concilium VII. Chriſti ætate celebratum legatur. Sanè Concilium iſtud, quod è Majoris Monaſterij codice MS erutum, publicam poſtmodò prodiit in lucem, non viderat erudiſſimus ille Cardinalis, Eccleſiaſticarum verum alioqui diligentiſſimus obſeruator. Non viderant quoque Ioannes Chenutius in Chronologica hiſtoria Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ, & quiſquis ille auctor Serici Carnotenſium Epiſcoporum quæ S. Fulberti operibus Lut tiæ an. MDCVIII. editis præfixa eſt, dum ſcripſere de Fulberto: *Hic feſtum*

*festum Natiuitatis beatæ Mariæ primus in Gallia celebrasse dicitur.* Nam ante Sanctum Fulbertum Carnotensem Episcopum institutum erat in Galliis Natiuitatis beatæ Mariæ festum. Præterquàm enim quod à Remensi Concilio præfato adnotatur, eius præterea meminit S. Fulberto antiquior VValterius Aurelianensis Episcopus, qui sub Carolo Caluo floruit circa an. Christi DCCCLXVIII. in capitul. DCVIII. Quare si quis illud à S. Fulberto, Carnotensi Ecclesiæ imperatum autumet, non contradixerim ego, qui sciam ab eo Pontifice scripta metrica hæc tria responsoria (vt appellant) in Natiuitatis beatæ Mariæ solemniis per diœcesim Carnotensem aliásque decantari consueta: *Solem iustitiæ* &c. *stirps Iesse* &c. *ad nutum Domini nostrum ditantis honorem*; non verò, *reparantis honorem*, vt habent noua breuiaria Carnotensia, contra veteres omnes S. Fulberti operum MSS. Codices, contra vetera omnia Carnotensis Ecclesiæ breuiaria. Et sanè *honorem nostrum* non *reparauit* solummodo *Dominus*, sed *ditauit* etiam, Apostolo teste 2. Corinth. VIII. cap. *Propter vos egenus factus est, vt illius inopia vos diuites essetis.*



## Capvt X.

### *Quæ festa* viii. *sæculo persequatur Codegrandus Mete sis Episcopus?*

PIpini Francorum regis temporibus floruit in Galliis nostris *Vir egregius, & omnibus præconiis efferendus, ex genere primæ nobilitatis progenitus* (verba sunt Pauli VVarnefridi Diaconi, in fragmento de Episcopis Metensis Ecclesiæ, apud Andream Chesnium tom. iii. histor. Franc Scriptorum) *In palatio Majoris Karoli*, siue Karoli Martelli, *Ab ipso enutritus, eiusdémque Referendarius*; Codegrandus, seu Chrodogangus seu etiam (vt alij scribunt) Chrodegangus, Metensis Episcopus. Hic Canonicorum Regulam scripsit, quam in i. Spicilegij sui volumine primùm euulgauit Doctissimus Acherius, cuius in regulæ cap. lxxiv. præcipuas ætatis suæ celebritates ita percurrit: *In solemnitatibus præcipuis, id est in Natali & in Octaua, & in Epiphania Domini & in Pascha & in Adscensione Domini, & in Pentecoste & in Sanctorum festiuitatibus, id est S. Stephani & S. Ioannis Euangelistæ, & in festiuitate infantium, & in Purificatione, & in Adsumptione sanctæ Mariæ; similiter in beatorum Apostolorum festis & S. Ioannis Baptistæ, & S. Laurentij & S. Martini, siue & in natali cuiuslibet sancti, cuius honor in qualicumque parochia specialiter*

*specialiter celebratur, plenarium officium celebretur, & bis reficiatur.* Adnotatis autem à Concilio Remensi feriatis diebus Codegrandum adjecisse deducitur S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, SS. Innocentium, Purificationis beatæ Virginis Mariæ, S. Laurentij, S. Martini & præcipui cuiuslibet Ecclesiæ Patroni, nomine sacros dies; atque è festorum dierum albo erasisse, qui proximè Pascha consequitur, vnâ cum Adnuntiationis & Natiuitatis Deiparæ virginis, ac S. Andreæ Apostoli celebritatibus. Sic eorum omnium quos hactenus adduximus scriptorum primus vnicum diem Paschalibus adsignat solemniis. Sic cum Remensi Concilio vnicum etiam celebrando Pentecostes festo adtribuit. Vbi verò ait: *Similiter & in beatorum Apostolorum festis:* Sanctorum duodecim Apostolorum ferias ne acceperis, sed vel vnam tantùm Petri & Pauli, qui cum Apostolorum omnium facilè principes sint ac Coryphæi, meritò *Beatorum Apostolorum*, ἁπλῶς & sine additamento, appellatione significantur: vel Petri & Pauli omniúmque coniunctim Apostolorum celebritatem vnam, quæ Latinis olim ipsis Kal. Maiis, Græcis autem, die festo Petri & Pauli, agebatur, quemadmodum testis est Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus in lib. VII. Rational. diuin. off. cap.x. Nam & si singulos duodecim Apostolorum festos dies innueret eiusmodi verbis, quid S. Ioannis Euangelistæ, qui vnus fuit è duodecim Apostolis, festum commemorare necesse habuit Codegran-

dus ? Cæterùm nullam heic Dominicæ diei mentionem idcirco eum instituisse autumo, quia vbique gentium à Christianis omnibus, quacumque Catholica se se diffundit Ecclesia, religiosè obseruatam non ignorabat Pontifex sapientissimus; adeo vt planis apertísque verbis inter alias celebritates reponere, superuacaneum iudicauerit. Quod ipsum de aliis festorum dierum recensionibus adseuerandum videtur, in quibus altissimum est de Dominica die silentium. In illarum plerisque commemorari non mihi latet, quas eam ob rem sobrius nemo condemnauerit, qui sciat familiarissimo apud Iurisconsultos effato, *Quod abundat non vitiare.*



## CAPVT XI.

*Quæ festa* IX. *sæculo percurrant Concilium Moguntinum* I. *& Karolus Magnus. Quid sit capitulare, & quid capitulum. Quanti ponderis sint regum nostrorum Capitula?*

ECclesiæ IX. sæculo quid de festis diebus statutum sit, solus nescire potest, qui temporis illius scriptores nescit. Vix enim à Christi seruatoris exortu ad nos vsque vlla ætas exstitit, quę plures de Christianorum solemniis sanctiones tulerit, quæ accuratiores feriatorum

dierum

dierum recognitiones posteris reliquerit. Primas illi festorum recognitioni damus quam anno DCCCXIII. V. Idus Iunias in canone XXXVI. ita contexuit Moguntinum Concilium primum cui Ricoltus præfuit Moguntinus Archiepiscopus sub Karolo magno imperatore : *Festos dies in anno celebrari sancimus, hoc est diem Dominicam Pascha cum omni honore & sobrietate venerari. Similiter feriam* II. III. *&* IV. *à feria* V. *ante missam licentia sit arandi vel seminandi & hortum & vineam excolendi, & sepem circumcludendi, ab alio verò opere cessare decreuimus. Post missam autem ab opere vacare. Diem Adscensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecosten similiter vt in Pascha. In natali Apostolorum Petri & Pauli diem vnum. Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, Adsumptionem S. Mariæ, Dedicationem S. Michaëlis, Natiuitatem S. Remigij, S. Martini, S. Andreæ. In Natali Domini dies* IV. *Octauas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem S. Mariæ, & illas festiuitates Martyrum vel Confessorum obseruare decreuimus, quorum in vnaquaque parochia S. Corpora requiescunt. Similiter etiam Dedicationem templi.* Dominicam diem in eo canone reticet Concilium Moguntinum, quam in sequenti XXXVII. sic commemorat : *Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decreuimus obseruare & à seruili opere abstinere, & vt mercatus in eis minimè sit, nec placitum vbi aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur.* Laudatum à Chrodogango S. Laurentij festum omittit, cuius loco iam enumeratis antea accenset Dedicationis S. Michaëlis,

næ studio commendatus duos nobis festorum dierum κατπλόγυς suis in capitularibus reliquit. Primus est in lib. I. capit. CLXIV. his verbis : *Hæ sunt festiuitates in anno quæ per omnia venerari debent , Natalis Domini , S. Stephani , S. Ioannis Euangelistæ , Innocentum , Octaua Domini , Epiphania , Octaua , Epiphaniæ , Purificatio S. Mariæ , Pascha dies octo, Letania maior , Adscensio Domini , Pentecoste, S. Ioannis Baptistæ , S. Petri & Pauli , S. Martini, S. Andreæ. De Adsumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.* Ante Moguntini Concilij ætatem ita de festis diebus statuisse Karolum Magnum illud mihi suadere videtur , quòd in multis à Conone XXXVI. præfati Concilij dissentiat. Concilium enim *Diem Dominicam Paschæ similiter & feriam* II. III & IV. Percenset inter festa : Karolus autem A. *Pascha dies octo.* Concilium , *Pentecosten similiter vt in Pascha*; Karolus , *Pentecosten* solùm Concilium *Natiuitatem S. Remigij , Dedicationem S. Michaëlis , & illas festiuitates Martyrum vel Confessorum quorum in vnaquaque parochia sancta corpora requiescunt , similiter etiam Dedicationem templi obseruare decreuit* : de quibus ne verbum quidem apud Karolum Magnum. Contrà verò Karolus Magnus *Octauas Epiphaniæ , Letaniam majorem* , id est Rogationum tres dies percurrit , quos insalutatos dimittit Concilium Moguntinum. *Adsumptionem S. Mariæ* apertis verbis nominat Concilium : hanc reuocat in dubium imperator, vbi dicit : *De Adsumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.* Iam quis putet


tet post Moguntini Côncilij, suo jussu coacti, celebrationem, tam diuersa à Concilij Moguntini decreto de festis perscripsisse Karolum Magnum? Secundus feriarum κατaλογισμὸς quem in lib VI. capit. CLXXXVI. idem Imperator adornauit, nonnihil à primo, & à Concilij Moguntini can. XXXVI. dissidet. Constat his vocibus: *Diem Dominicum secundùm reuerentiam colite. Opus seruile, id est agrum, pratum, vineam, vel si qua grauiora sunt in eo non faciatis, nec causas, nec calumnias inter vos dicatis, sed tantùm diuinis cultibus seruiatis, & à Vespera vsque ad Vesperã dies Dominicus seruetur. Has siquidem præcipuas festiuitates adnuncient presbyteri, & diebus Dominicis sabbatizare, id est in natali Domini, dies IV. VIII. Kalendarum Ianuariarum. In Circumcisione Domini, Kalendis Ianuarijs, diem vnum. In Epiphania, VIII. Idus Ianuarias, diem vnum. In Purificatione sanctæ Mariæ IV. Nonas Februarias, diem vnum. In Pascha Domini vsque in Octauas Paschæ, post Dominicam dies III. In Adscensione Domini diem vnum. In Natali S. Ioannis Baptistæ VIII. kalend. Iulias, diem vnum. In Passione SS. Apostolorum Petri & Pauli III. Kalendas Iulias, diem vnum. In Adsumptione S. Mariæ XVIII. kalendas Septembres, diem vnum. In transitu S. Martini III. Idus Novembris, diem vnum. In Passione S. Andreæ Apostoli II. Kalendas Decembres, diem vnum.* Nullum quippe in eo capitulari verbum de S. Remigio, nullum de *Letania majore*, de *Octauis Epiphaniæ* nullum, de Patronis cujuscumque Ecclesiæ, nullum (quod miror maximè)

mè ) de Pentecoste ( nisi fortè mendum aliquod in illud irrepserit : *Post Dominicam dies* III. legendúmque sit : *Post Dominicam Pentecostes dies* III. ) At de ijs tamen omnibus agunt & Concilium Moguntinum, & Karolus Magnus in lib. I. cap. CLXIV. Planè tamen heic Adsumptionis Beatæ Mariæ festum enarratur, sicut in Moguntino Concilio, non verò dubitanter, vt in cap. CLXIV. lib. I. Vnde Baronius in notis Romani Martyrologij ad XVIII. Kalendarum Septembrium scribit : *In Gallijs circa tempora Caroli Magni receptam esse adparet hanc solemnitatem. Nam in lib.* I. *capitul. Regum Franc. cap.* CLXIV. *quo agitur de ferijs hæc scribuntur in fine :* De Adsumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus. *Hæc ibi. Libro autem* II. *cap.* XXXV. *& lib.* VI. *cap.* CLXXXVI. *ea celebritas Adsumptionis inter ceteras recensetur, sicut & in Concilio* I. *Moguntino cap.* XXXVI. At Cardinalem eruditissimum sua fefellit opinio. Duobus siquidem ante Karolum Magnum sæculis præceptum in Gallijs nostris fuisse Adsumptionis Deiparę virginis festum diem omnino conuincunt pręscripta superiùs Concilij Remensis ista verba : *Adsumptio Beatæ Mariæ ejusdémque Natiuitas.* Meminit etiam illius festi vno ante Karolum Magnum sæculo Codegrandus Metensis Episcopus, & ipse Gallus, & vnius è Gallicanis Ecclesijs Pontifex illustrissimus, in Regulæ Canonicorum cap. LXXIV.

Quia verò Capitularium capitulorúmque Karoli Magni nobis heic injecta mentio est, aliorúmque

aliorúmque plurium in ſequentibus erit injicienda, quidnam hoc vtroque vocabulo apud coæuos, ſubpares & ſequiores aliquot ſcriptores deſignetur, non injucundum fortaſſe erit lectori noſtro, Si ὡς ἐν παρέργῳ exponamus. Capitulare igitur, nihil aliud eſt quàm liber ſeu volumen, quo Capitula continentur. Sunt autem capitula, Canones, leges, & Decreta Conciliorum, nec-non & Epiſcoporum ſanctiones ac Regum Imperatorúmque placita. Probat hoc Karolus Magnus dum Præfatione ad ſua Capitularia hæc habet: *Aliqua Capitula ex Canonicis inſtitutionibus, quæ magis vobis neceſſaria videbantur, ſubjunximus.* Quid enim ſibi vellent, *Capitula ex Canonicis inſtitutionibus*, niſi Conciliorum Eccleſiæ ſcita, Canones, ſtatuta? Probant ſatis ſuperque vel ipſi tituli, nudúſque ac ſimplex intuitus Capitularium Karolj Magni, Ludouici Pij, Haitoris Baſilienſis Epiſcopi, Rioulfi Sueſſionum Pontificis Hincmari Remenſis Epiſcopi, Theodulphi Aurelianenſis, Herardi Turonenſis Eccleſiæ Præſulis, VValterij Aurelianenſium Antiſtitis, Attonis Vercellenſium Pontificis & aliorum ejus generis ſexcentorum. Cujus autem ponderis & autoritatis ſint Caroli Magni & Ludouici Pij Imperatorum Capitularia, declarat Lotharius A. in lib. III. Legum Longobard. tit. XXXVII. his vocibus, *Placuit nobis vt Capitula quæ excerpſimus de Capitulari glorioſiſſimi aui noſtri Karoli ac genitoris noſtri Ludouici, ab omnibus fidelibus noſtris & ſanctæ Dei Eccleſiæ in regno Italiæ conſiſtentibus pro*

*pro lege teneantur & seruentur : & quicumque horum Capitulorum contemptor extiterit*, LX. *sol. componat*. Leo IV. præterea Romanus Pontifex declarat in Epistola quadam Lothario Augusto scripta, cujus hæc verba referunt S. Ivo Carnotensis Episcopus in part. IV. Decreti, cap. CLXXVI. & Pannormiæ lib. II. cap. CXLIV. ac Gratianus in I. Parte Decreti, cap. IX. *de Capitulis*. dist. X. *De Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorúmque Pontificum & Prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis, & conseruandis, quantum valuimus; & valemus Christo propitio, & nunc & in æuum nos conseruaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.* Declarat denique Concilium Meldense an. DCCCXLV. in cap. LXXVIII. in quo ejusmodi Capitula sic confirmat & obseruanda mandat; *Ut Capitula Ecclesiastica à Domno Karolo Magno Imperatore, necnon à Domno Ludouico Pio A. promulgata obnixè seruari præcipiantur, sicut & legalia obseruanda esse noscuntur.* Sed jam tandem in gradum redeo, extra lineas oleásque aliquantulùm exspatiatus.



## CAPVT XII.

*Quæ festa* IX. *sæculo recognoscant Basiliensis Episcopus Haito, Ludouicus Pius Imperator & Concilium* II. *Aquis-granense.*

VT Principes erga Christianam religionem literásque affecti sunt; hic sibi pios eruditósque homines conciliant, officijs, amicitiâ, honoribus. Eâ maximè ratione Karolus Magnus religiosissimus Imperator, de literis ac literatis quàm optimè meritus, suum clarauit Imperium. Viros enim pietate aut doctrinâ commendabiles studiosè coluit, beneuolentiâ & caritate sibi comparauit, liberalitate ac beneficijs dignatus est, honorum dignitatúmque titulis exornauit. Et mirabimur postea florentissimum tanti Principis regnum extitisse, ætatem, illustrissimorum virorum feracissimam.

Ejus Imperatoris æuo floruit sanctissimus & doctissimus Ahyto (qui alijs Hacto, Hecto, Haido & Haito nominatur) primùm Augiæ Abbas, deinde Basiliensis Antistes, de quo ita Annales Francorum veteres an. DCCCXI. *Absoluto atque dimisso Arsafio (hoc erat nomen legato Nicephori Imperatoris) ejusdem pacis confirmandæ gratiâ legati Constantinopolin*

*ab-*

*ab Imperatore* Karolo Magno *mittuntur, Haido Episcopus & Basilensis, & Hug* siue Hugo *Comes Turonicus.* Et Hepidamus S. Galli Monachus in Annalibus quos ab an. Christi DCCIX. ad MXLIV. perduxit: *Anno* (inquit) DCCCII. *Heito Episcopus in Consilio Caroli clarus habetur.* Quorum similia legas apud Eginhardum in Annalibus an. DCCCXI. Monachum Engolismensem in vita Karoli Magni; Annales Fuldenses eodem anno; Hermannum Contractum in Chronico ad an. prædictum DCCCXI.

Ahyto autem iste Capitulare *Presbyteris suæ Diœcesis ordinauit, quo monerentur qualiter seipsos ac plebem sibi commissam castè & justè regere, atque in religione diuina confirmare debeant:* Quod in VI. Spicilegij sui volumen transtulit, ac publicauit omnium primus Lucas Acherius v. c. Sic porrò de festis suæ Diœceseos diebus in capitulo VIII. loquitur Pontifex sapientissimus: *Octauò pronunciandum est vt sciant tempora feriandi per annum, id est omnem Dominicam à manè vsque ad Vesperam, ne Iudaismo capiantur. Feriandi verò per annum isti sunt dies. Natalis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Octaua Domini, Theophania, Purificatio S. Mariæ, sanctum Pascha, sicut in superiori capitulo comprehensum est: Rogationes tribus diebus, Adscensio Domini, Sabbatum sanctum, Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maximè tamen SS. Petri & Pauli, qui Europam sua prædicatione illuminauerunt: Adsumptio S. Mariæ, Dedicatio Basilicæ S. Michaëlis*

*chaëlis Archangeli, Dedicatio cujuscumque Oratorij, seu cujuslibet Sancti, in cujus honore eadem Ecclesia fundata est, quod vicinis tantùm circummorantibus indicendum est, non generaliter omnibus. Indictum verò jejunium quando à Palatio vel à Domno fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter obseruetur. Reliqua verò festiuitates per annum, sancti Remedij* ( id est Remigij) *S. Mauritij, S. Martini, non sunt cogenda ad feriandum, nec tamen prohibendum, si plebes hoc castè & zelo Dei cupiunt exercere.* Vnico die celebrandum Pentecostes festum præceperunt suprà Concilium Remense, Codegrandus Metensis Episcopus, & Karolus Magnus in lib. 1. capitul. cap. CLXIV. Eodem quoque modo præcipit agitandum Haito. Distinctè Sabbati sancti feriam in prænotatis festorum καταλόγοις non deprehendebamus, sed his tantùm aut alijs non disparibus multùm, intelligebamus vocabulis: *Sacros Pascha dies qui septeno numero vel præcedunt, vel sequuntur.* Abundanter heic & illuminatè deprehendimus. Tota Paschatis hebdomada festis diebus adnumeratur, vbi legis: *Sanctum Pascha, sicut in superiori capitulo comprehensum est:* Nam in *superiori capitulo* VII. id habes: *Septimò vt sciant tempora legitima ad baptizandum in anno, id est, Sabbato sancto Pascha, vt illa trina mersio in baptismate imitetur triduanam mortem Domini clarificatam Resurrectione. Et idcirco vsque ad Octauum diem ipsa regeneratio sacra ab omni populo Christiano celebrabitur.* S. Laurentij festum laudauerat Chrodogangus; silet Hacto S. Martini,

tini, Chrodogangus, Concilium Moguntinum, Karolus Magnus in lib. I. cap. CLXIV. & lib. VI. cap. CLXXXVI. ac S. Remigij idem Concilium Moguntinum, solemnia imperauerant ab omni opere seruili vacua; ea tamen *non esse cogenda ad feriandum* tradit Basiliensis Præsul, *nec prohibendum si plebes hæc castè & zelo Dei cupiunt exercere.* Rogationes *tribus diebus*, feriatis scilicet, agitari vult; quod etiam statuunt Concilium Aurelianense I. in can. XXIX. & Karolus Magnus in lib. I. cap. CLXIV. dum scribit: *Dedicatio cujuscumque Oratorij, seu cujuslibet sancti, in cujus honore eadem Ecclesia fundata est:* Duplex festum innuit, alterum Dedicationis Ecclesiæ, alterum præcipui saltem cujuscumque Ecclesiæ Patroni. Denique vbi imperat festa *duodecim Apostolorum, maximè tamen sanctorum Petri & Pauli qui Europam suâ prædicatione illuminauerunt:* Non ita accipiendum crediderim vt omnium singillatim Apostolorum festa imperet hisce verbis. Si enim imperaret, frustra paulò ante meminisset feriam S. *Ioannis Euangelistæ* itidem Apostoli, & quidem à Christo tantopere adamati: cui præterea venerit vmquam in mentem, vnum inter omnes tum sui, tum etiam antiquioris æui scriptores, qui festorum dierum formulas nobis consignarunt, Haitonem singulorum Apostolorum festa hoc in capitulo commemorasse, de quibus in anterioribus sæculorum monumentis nihil occurrit? Vnum itaque SS. Petri & Pauli festum loquitur, quod sic præ reliquis commendat: *Maximè tamen SS.*

*Petri*

*Petri & Pauli qui Europam sua prædicatione illuminauerunt*: Quódque majori cultu, magísque præcipuâ obseruantiâ quàm ceterorum Apostolorum, prosequuntur, qui hæc profesta faciunt & actuosa, illud verò religiosum ac sacrum constituunt. Quâ in re si minùs ad ætatis suæ morem Haito, fortassis ad Græcorum consuetudinem respexit, qui *in festo Apostolorum Petri & Pauli, solemnitates ad honorem omnium Apostolorum celebrabant*, sicut *in Ecclesia primitiua in Kalendis Maij celebrabantur*, quemadmodum auctor est Guillelmus Durandus Mimatens. S. Episcopus in lib. vii. Rationalis diuin. off. cap. x. Vnde cùm ait: *Maximè tamen SS. Petri & Pauli*, &c. Si in die festo SS. Petri ac Pauli omnium Apostolorum festa non agantur, agi saltem SS. Petri ac Pauli diem festum decernit. Adde his non nisi circa annum Christi dccccxxxii. præcepta fuisse singulatim omnium Apostolorum solemnia, in Concilio nimirum Erpfordiensi sub Ioanne xi. Papa, vt videre est in ejus Concilij cap. & in opere Chronologico Sethi Caluisij, ad eumdem annum dccccxxxii. Et reuera nullam feriarum recensionem vidi ante illius Concilij tempora, in qua duodecim Apostolorum festi dies distinctè proponerentur. Verùm hæc fusiùs persequemur vbi de rescindendis Apostolorum festis quibusdam opportuna sese dederit occasio disserendi. De jejunijs *à Palatio* (vt loquitur heic Ahyto denunciatus,) vide S. Gregorium Turonensem in lib. xix. cap. xxi. & Carolum

Magnum

Magnum in Epistola ad Fastradam. reg.

Postquam in viuis esse desijt Carolus Magnus, vt imperij sic & paternæ pietatis hæres Ludouicus Pius ejus filius, quod in Concilio Moguntino I. editum fuerat de festis diebus decretum, sic in lib. II. Capitularium ab Ansegilo Senonensi Archiepiscopo collectorum, capite XXXV. innouauit: *Festos dies in anno celebrare sanximus, hoc est diem Dominicum Pascha cum omni honore & sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam obseruare decreuimus. Diem Adscensionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoste similiter vt in Pascha. In Natali Apostolorum Petri & Pauli diem vnum. Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, Adsumptionem S. Mariæ. Dedicationem S. Michaëlis, Natalem S. Remigij, S. Martini, S. Andreæ. In Natali Domini dies IV. Octauas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem S. Mariæ & illas festiuitates Martyrum vel Confessorum obseruare decreuimus, quorum in vnaquaque Parochia sancta corpora requiescunt.* Atenim è Canone XXXVI. Concilij Moguntini I. quæsita esse illa verba, legenti cuilibet in propatulo est, paucis quibusdam immutatis. Nam quo loci Concilium habet: *Diem Dominicam Paschæ: similiter feriam* II. III. & IV. ac, *Pentecosten similiter vt in Pascha*; Ludouicus Pius A. ait: *Diem Dominicum Paschæ, simili modo totam hebdomadam: & in Pentecoste similiter vt in Pascha.* Cetera si quæ sit discrepantia ac varietas, verborum quorumdam est, non sententiæ. Quoniam verò vbi de Moguntini Concilij I. Canone

XXXVI.


xxxvi. egimus, quid illis verbis designetur minimè obseruatum est à nobis: *Illas festiuitates Martyrum vel Confessorum obseruare decreuimus, quorum in vnaquaque Parochia sancta corpora requiescunt:* Præcipui Ecclesiæ cujuslibet Patroni festum intelligi admonemus. Sunt qui secundum hunc capitulorum librum laudant Karoli majoris nomine: at quàm turpiter hallucinentur, probant hæc Angesili vocabula, Præfatione ad Capitula ejusmodi: *Hoc notum sit lectori, quia prædicta Capitula quæ per interualla temporum à præfatis sunt principibus edita, in quatuor distinxi libellis. Illa scilicet quæ Domnus Karolus Imperator fecit ad ordinem pertinentia Ecclesiasticum, in primo adunaui libello. Ea verò Ecclesiastica quæ Domnus ac piissimus Ludouicus Imperator & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt, in secundo descripsi.* Ludouici itaque Pij ac Lotharij ipsius filij est secundus Capitulorum liber, cujus caput xxxv. Ludouico Pio tribuimus, quia nulla non tribuendi ratio suppetebat. Quamquam non minùs probabiliter, ex Angesili Præfatione, illius auctor censeri possit Lotharius. Nisi grauissimos scriptores quorum nominibus parco, ad eum errorem tanquam ad scopulum impingere expertus essem, numquam id adnotare succurrisset animo.

*Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi* DCCCXVII. *imperij verò gloriosissimi Principis Ludouici* IV. VI. *Idus Iulij, cùm in domo Aquisgrani Palatij, quæ Lateranis dicitur, Abbates cum quampluribus vnà suis resedissent Monachis,*

(vt

( vt habetur in titulo additionis I. ad Capitula regum nostrorum ) celebratum est Concilium Aquisgranense II. sub Paschali I. Romano Pontifice, quod Smaragdus ac post eum Boherius in suis ad Regulam S. Benedicti Commentarijs Magnum Gallorum Concilium vocant, quódque in lib I. Chronici Cassinensis cap. XVIII. eodem quo ipsam S. Benedicti Regulam cultu obseruatum fuisse narrat. Leo Episcopus Ostiensis & Cardinalis. In eo Concilio sanctissimæ leges latæ sunt, *communi consilio ac pari voluntate inuiolabiliter à regularibus conseruandæ*, quemadmodum in præscripto titulo legitur, quarum pleræque tacito licèt auctoris nomine, è Chrodogangi Metensis Episcopi Regula Canonicorum depromptæ sunt. Ejus generis est quæ occurrit numero Quadragesima sexta, easdémque jisdem penè verbis persequitur celebritates, quas in capite X. à Chrodogango numeratas retulimus. En illius verba ipsissima: *Vt in præcipuis solemnitatibus, id est in Natali & in Octauis Domini, in Epiphania, in Pascha quoque & Adscensione Domini, in Pentecoste & in Sanctorum festiuitatibus, id est S. Stephani, & beati Ioannis Euangelistæ, & in Natale infantium, in Purificatione & Adsumptione S. Mariæ, similiter & in beatorum Apostolorum festis, & in S. Ioannis Baptistæ Natiuitate, S. quoque Laurentij atque Martini, seu in Natalitijs quibuslibet Sancti cujus honor in qualicumque Parochia specialiter celebratur, plenarium officium agatur, & bis reficiatur.* Quare cùm ad Chrodogangi Regulæ

gulæ Canonicorum caput LXXIV. quæ necessaria visa sunt notauerimus iam suprà: nihil heic ad Concilij Aquis-granensis II. cap. XLVI. animaduertere opus est, nisi fortè duplicem Ioannis Auentini errorem in lib. IV. Annalium Bojorum; Priorem vbi scribit: *Eodem Concilio* Aquis-granensi *Ludouicus* Pius *eum quoque diem quo Deipara virgo terris relictis in senatum cœlitum adlecta est, fastis addit, celebrarique præcipit*; Posteriorem verò dum ait: *Post natalem Christi deinde conuentum ad Aquas-graneas cogit* &c. *Festum omnium cœlitum diem in Kalendas Nouembris transtulit.* Iam enim (vt in cap. XI. diximus, duobus ante Karolum Magnum sæculis Remense Concilium, vno autem, Chrodogangus, Adsumptionis S. Mariæ festum recensuerant. Illud ergo in Aquisgranensi Concilio *fastis* non *addidit* Ludouicus Pius, sicut neque *Festum omnium cœlitum diem in Kalendas Nouembris transtulit.* De quo die nulla in eiusmodi Concilio occurrit mentio.



## Caput XIII.

*Quæ festa IX. sæculo memorent Herardus Turonensis Episcopus, & Nicolaus primus Romanus Pontifex?*

PAulò post IX. sæculi medium Herardus Turonensis Ecclesiæ Episcopus anno Chriist

Christi DCCCLVIII. Capitula evulgauit, quorum in LXI. Ita de festis diebus scribit: *De festiuitatibus anni quæ feriari debeant, id est Natali Domini, S. Stephani, S. Ioannis & Innocentium, Octauis Domini, Epiphania, Purificatione S. Mariæ & Adsumptione, Adscensione Domini & Pentecoste. Missa S. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, S. Michaëlis, atque omnium Sanctorum, S. Martini & S. Andreæ, & eorum quorum corpora & debitæ venerationes in locis singulis peraguntur.* Cur autem eo loci prætermissa fuerit ab Heraldo Turonensi Paschalis festi commemoratio, mirandum profectò mihi videtur, nisi idcirco prætermissam putem, quia cum Paschatis sacri celebritas omnium maxima sit atque nobilissima, nullíque Christiano homini non comperta; eam cum cæteris recensere necessarium non duxit. Eamdem fortassis ob causam Dominicæ diei non meminit Herardus, qui primus inter omnes quos hactenus laudaui festorum nomenclatores; legitur festi *Omnium Sanctorum* Meminisse; cui proinde festo certa in Galliis præfigi potest epocha, annus nimirum Christi DCCCLVIII. Quo incepisse verisimile apparet. Non præcipitur heic Mariæ Virginis Adnuntiatio, non Natiuitas; quas jam ab anno DCXXX. præceperat Remense Concilium. Pentecoste vnico die celebranda proponitur. Imperantur à Karolo Magno in lib. I. cap. CLXIV. Rogationum tres dies ac *Octauæ Epiphaniæ*; de vtrisque silet Herardus. Quod argumento est vel non recepta fuisse eius ætate

te in Episcopatu Turonico. Karoli magni Capitula; vel si recepta fateamur, non ita tamen vt eorum gratiâ Ecclesiæ suæ morem de festis diebus obseruandis immutandum esse autumarit Turonicus Præsul Herardus. *Missam* autem *Sancti Ioannis Baptistæ* dum vocat, S. Ioannis Baptistæ festum innuit. Atenim *Missæ* nomine aliquando apud antiquos scriptores Ecclesiasticos, diem festum designari, ex his Cathuulphi verbis liquet in epistola *Ad Domnum Karolum Regem*, Quam in tomo II. Scriptorum historiæ Francicæ refert Andreas Chesnius ( *Ergo, mi Rex, si vobis placeat hoc consilium pro his omnibus, pro te & pro exercitu Christianorum, vt vnum diem in honore Sanctæ Trinitatis & vnitatis, & Missam S. Michaëlis in publico celebrare regno tuo constitues* : Vbi de introducendis per Galliam ac Germaniam totúmque Karoli majoris imperium Sanctæ Trinitatis ac S. Michaëlis celebritatibus loquitur, neutram enim suis in Capitulis admiserat; etiam si hæc eo imperante à Concilio Moguntino primo recenseatur; illa verò nonnisi longo post tempore recepta fuerit, vt postea demonstrabimus. Missam prȩterea prodie festo accipiunt Fortunatus Pictauensis Episcopus in cap. LX. vitæ S. Germani Parisiensis Episcopi; Concilium Pistense in cap. III. Ludouicus Pius & Lotharius eius filius in lib. II. capitular. capp. X. & XX. & Concilium Turonense II. in canonibus XIII. & XIV. seu ( vt alij notant ( XVI. & XVII.

Circa Heraldi Turonensis Episcopi tempora,

ra, Nicolaus I. Romanus Pontifex, qui anno DCCCLVIII. ſedere cœpit & annos decem ſedit, dies feſti quinam Bulgaris eſſent agitandi, eorum conſultis reſpondens, ita declarat in cap.XI. *In quorum Apoſtolorum vel Martyrum ſeu Confeſſorum atque Virginum diebus feſtis à labore terreno recedere debeatis, inquiritis. In ſolemnitatibus vtique beatæ Mariæ Virginis & SS. duodecim Apoſtolorum ac Euangeliſtarum, atque Præcurſoris Domini Ioannis, & S. Stephani primi Martyris, nec non & in eorum Sanctorum natalitiis, quorum apud vos Deo fauente memoria celebris & dies feſtiuus habebitur.* Quæ quidem verba cùm vniuerſaliora ſint, nihil ex iis confici poteſt aut colligi, vnde quas celebritates à populis iſtis nondum planè fidei noſtræ myſteria edoctis, ſeruari voluerit Nicolaus I. certò dignoſcatur. Nihil enim heic de Chriſti Domini feſtis diebus. Quæ de Virginis Deiparæ, de Apoſtolorum, de Euangeliſtarum, de aliorum Sanctorum feſtis tradit, ſubobſcura ſunt. Nulla Nicolai I. temporibus de agitandis Euangeliſtarum feſtis decreta promulgata ſunt, quæ feſta multis poſt ipſum annis indicta fuiſſe feriatorum dierum formulæ à nobis inferiùs percenſendæ commonſtrabunt. Nulla de frequentandis *Sanctorum duodecim Apoſtolorum ſolemnitatibus* ante Concilium Erpfordienſe an. DCCCCXXXII. ſtatuta lex fuerat. Et verò non omnium Apoſtolorum feſta ſuo Pontificatu celebrata teſtatur apertiſſimè idem Nicolaus I. in cap. V. Reſponſionis ad eadem Bulgarorum conſulta, ſed ali-

quorum

quorum tantummodo, putà SS. Petri ac Pauli Ioannis Euangelistæ & Andreæ. Ibi enim sic ait: *Sextâ feriâ passionem Dominicam & Apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis & pinguedine gustus noster arcendus est, præter si Natiuitas Domini & Epiphaniorum eius aut festiuitas Beatæ Matris Domini & intemeratæ Virginis Mariæ, seu Apostolorum principum Petri & Pauli, atque S. Ioannis Baptistæ ceu beati Ioannis Euangelistæ, nec non & clauigeri cœli germani, Andreæ scilicet Apostoli; quin etiam & beati Stephani protomartyris, ipso die fortassis euenire contigerit. Nam quòd Sancta Ecclesia vt fidelis anima in festiuitate eorum jejunia vel abstinentias quæ non sunt perpetuo voto propositæ soluere debeat, Dominus testatur.* Vnde non alia heic præcepisse festa censendus est Nicolaus I. quàm Natiuitatis Domini & Epiphaniorum eius, SS. Petri & Pauli, S. Ioannis Baptistæ, S. Andreæ Apostoli, S. Stephani protomartyris & Adsumptionis Dominicæ, quæ his verbis significatur: *Festiuitas beatæ Matris Domini & intemeratæ Virginis Mariæ.* Adsumptionis enim celebritas earum omnium illustrissima est quæ Deiparæ Virginis gloriæ consecrantur. Quapropter κατ' ἐξοχὴν *Dies Dominæ* nuncupata est Hunnis, vt Carthuitius scribit in vita Stephani regis. Cur autem in prædicto cap. v. Nulla Dominicæ diei, Paschatis, Pentecostes, aut Adscensionis Domini mentio occurrat, hinc factum arbitror quòd de iis solum festis in eo capite agat Sanctissimus Pontifex quæ ex Romanæ Ecclesiæ consuetudine

dine à jejunio immunia esse cupiebat ac libera, & in quibus dubitare poterant Bulgari, num *jejunia vel abstinentias quæ non sunt perpetuo voto proposita soluere deberent.* At jam satis religionis Christianæ mysteriis erant initiati, vt vel in Dominicis diebus, vel in Paschate, vel in Pentecoste, vel in Adscensione Domini, scirent non esse jejunandum. His accedit quòd mobilia ( vt appellant ) festa heic nulla attingat Nicolaus I. cuius ordinis sunt Dominica dies, Pascha, Pentecoste & Adscensio Domini; sed ea dumtaxat, quæ certis quibusdam mensium diebus adfixa sunt atque adnexa; quibus cùm neque S. Michaëlis, neque omnium sanctorum, neque S. Laurentij, neque S. Martini, neque S. Remigij solemnia accenseat: ea omnia hujus Pontificis temporibus Romanam nesciuisse, aut non celebrasse saltem Ecclesiam, abundanter intelligitur.

## CAPVT XIV.

### *Quæ festa* IX. *sæculo dinumerent VValterius Aurelianensis Episcopus & Alueredus Magnus Anglorum Rex?*

TEmporibus Karoli Calui Imperatoris, circa annum Christi DCCCLXVIII. VValterius Episcopus Aurelianensis, secundo ordinationis suæ anno, ipsisimet kalendis Iuniis

Synodum habuit apud Bullensem fundum, in qua Compresbyteris promulgauit aliqua capitula (quæ primùm edita sunt à Ludouico Cellatio in appendice Concilij Duziacensis) quorum in XVIII. festorum in suâ diœcesi obseruandorum hunc habet delectum: *Ut celebres Sanctorum festiuitates solemni cultu obseruent, & obseruandas suis plebibus antea cognitent, hoc est natale Domini, beati Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Octauas Domini, Epiphaniæ, Natiuitatem S. Mariæ, Purificationem S. Mariæ, Adsumptionem S. Mariæ, Sabbato sancto, Paschæ dies octo, Letania majore, Adscensio Domini, Pentecosten, S. Ioannis Baptistæ, S. Petri, S. Pauli, S. Martini, S. Andreæ, nostrorum præterea Patrum, quorum piis apud Dominum patrociniis vicinis juuamur, beati Euurtij de transitu, beati Aniani de transitu, beati Benedicti, beati Maximini, beati Lifardi similiter de transitu, de Inuentione salutiferæ crucis & Exaltatione eiusdem viuificæ crucis.* Rogationes seu *Letaniam majorem* Inter festos dies heic recenset VValterius, quomodo nouerat ab Aurelianensi Concilio I. in can. XXIX. Karolo Magno in lib. I. cap. CLXIV. & Haitone Basileensi Episcopo in capit. VIII. Factum. Sabbatum quoque sanctum clarè nominat cum Haitone. Sed neque Dedicationis Ecclesiæ, neque præcipui Ecclesiæ cuiuslibet Patroni celebritates, jam à plerisque festorum dierum nomenclatoribus numeratas persequitur. Meminerat antea in cap. IX. Concilium Remense, festi Natiuitatis beatæ Mariæ Viginis: non meminere

nere quotquot capitibus x.xi.xi. xii. & xiii. producti sunt scriptores. Eius mentionem redintegrat VValterius. Paschalibus solemniis dies octo, vnum solum adsignat Pentecostæ: omissâque, vel fortasse amputatâ S. Laurentij Martyris feriâ, quam Chrodogangus Metensis Episcopus percurrerat, alias addidit in sua tantùm diœcesi celebrandas, sanctorum videlicet Euurtij, Aniani, Benedicti, Maximini, Lifardi, nec non inuentionis atque exaltationis S. Crucis; quod hactenus à nullo siue Concilio, siue Episcopo, siue Imperatore, decretum obseruaueramus, vt præter communia festa, peculiaria quædam vni loco & diœcesi indicerentur.

Anno Christi circiter DCCCLXXXVIII. Alueredus cognomento Magnus Anglorum rex in legibus Ecclesiasticis Saxonicè conscriptis, quæ ex eius ciuilibus aliis excerptæ, Latinitate donatæ sunt à Guillelmo Lambardo, & in lucem emissæ ab Henrico Splelmano equite aurato, in tomo I. Conciliorum orbis Britannici, ita de festis diebus differit in titulo XVIII. *Hisce diebus festis sequentibus festa liberis & jngenuis omnibus licentia conceditor; seruis autem atque iis qui sunt legitima officiorum seruitute obligati, non item. Duodecim dies à festo natali Domini. Dies ille quo Christus subegit diabolum. Dies quo agitur anniuersarius beati Gregory festus. Dies ante festum Paschatis septem, & totidem dies festum illud insequentes. Dies festus beatorum Petri & Pauli. In autumno integra quæ est ante festum Mariæ septimana. Dies festus om-*

*nium Sanctorum. Quatuor autem diebus mercurialibus in quatuor illis septimanis quibus publicum edici solet jejunium, seruis omnibus festa dator licentia, vt omnem eorum operam in illorum insumant vtilitatem à quibus antehac in Dei nomine beneficia acceperint; aut de quibus in posterum ex collocata eorum opera bene promereantur.* Inæqualem, vel in iis etiam rebus quæ ad diuinum attinent cultum, Christianorum hominum, ingenuorum ac seruorum sortem constituit eâ lege Aluredus Magnus, cùm tamen Christiani omnes copiosissimâ Dei præpotentis benignitate sint *in libertatem vocati*, vt ait Gentium Apostolus in epist. ad Galatas cap. v. nec sint *Ancillæ filij sed liberæ, quâ libertate Christus eos liberauit*, eodem Apostolo teste ibidem in cap. iv. Multa præterea, Anglorum ille rex de festis diebus ac feriis noua & inaudita prioribus sequioribúsque sæculis, posterorum memoriæ consignat. Qualia sunt: *Duodecim dies à festo natali Domini; integra quæ est ante festum Mariæ septimana;* Quatuor *diebus mercurialibus in quatuor illis septimanis quibus publicum edici solet jejunium, seruis omnibus festa licentia.* Veneris diem, quem vulgò sanctum vocant, seu Feriam vi. in Parasceue, bis imperat. Primùm quidem his verbis: *Dies ille quo Christus subegit diabolum:* Hunc enim diem, veneris sanctum interpretor, quo Christus Dominus morte sua gloriosum ex diabolo triumphum reportauit, & *Mortem nostram moriendo destruxit*, Quemadmodum publicè canit Ecclesia. Secundùm verò

verò vbi ſcribit: *Dies ante feſtum Paſchatis ſeptem*: Nam eorum ſeptem dierum eſt feria VI. in Paraſceue. Feſti omnium Sanctorum à nullo præterquàm ab Heraldo Turonenſi Epiſcopo ſuperiùs nominati mentionem inijcit. Primus omnium feſti S. Gregorij, Papæ videlicet primi, meminit, eam opinor ob cauſam, quia miſſo ad Anglo-Saxones beato Auguſtino alijſque nonnullis diuini verbi præconibus, prima Chriſtianæ religionis fundamenta jeciſſe creditur apud Britanniam, S. Gregorius meritò à Beda venerabili Anglorum Apoſtolus appellatus. Quid autem per illa verba ſibi velit: *In autumno integram quæ eſt ante feſtum Mariæ ſeptimanam*: Haud ita facile conjici poteſt. Nullum enim Sanctæ Mariæ feſtum in Eccleſia celebratur autumni tempore. Autumnale ſiquidem tempus, ſecundum noſtram computandi rationem incipit IV. feriâ poſt feſtum Exaltationis S. Crucis, quod circiter in diem Septembris XIV. incidit, & ad feriam IV. poſt tertiam Dominicam Aduentûs perdurat: intra quod tempus è quinque celebritatibus quæ beatæ Mariæ nomine ferè per vniuerſam aguntur hodie Eccleſiam, Conceptionis nempe, Natiuitatis, Adnunciationis, Purificationis & Adſumptionis, nulla occurrit. Quodnam ergo *Feſtum* illud eſt S. *Mariæ in autumno*. Fortean Adſumptionis κατ' ἀντονομασίαν quandoque dicitur, quódque non multùm ab autumno diſiunctum eſt? Fortean Natiuitatis, quod autumno propinquius? Quæ poſterior mihi magis arridet

 conjectura,

conjectura, quandoquidem à Deiparæ Virginis Natiuitate, quæ VI. Idus Septembres peragitur in Ecclesia, ad feriam IV. post XVIII. Kalendarum Octobrium diem, quo Exaltatæ Crucis memoriam recolimus, non longa sit dierum intercapedo. Alueredus porrò quantumuis eâ lege multos dies ociosos feriatósque esse iubeat, pauca tamen festa percenset, omninóque de Dominica die, Pentecoste, Adscensione & Epiphania Domini, Natali S. Ioannis Baptistæ, quatuor Sanctæ Mariæ festis ac S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, SS. Innocentium, Sancti Laurentij, Sancti Martini, Sancti Andreæ, Sancti Michaëlis, præcipui cuiuslibet Ecclesiæ Patroni, & Dedicationis Ecclesiæ solemniis, conticescit. Quin tamen de propriè dictis festis diebus loquatur, nullus esse videtur dubitandi locus. *Duodecim dies à festo natali Domini* dum imperat, II. Synodo Turonensi Prouinciali, circa Pelagij Papæ I. tempora celebratæ concinit, quæ in can. XIII. *Inter natalem Domini & Epiphaniam omni die festiuitates* esse pronunciat.



# CAPVT XV.

## *Quæ festa circa x. sæculum imperentur in Concilio Lugdunensi.*

APud Gratianum in III. Parte Decreti, de Consecratione, dist. III. ineunte, apud S. Ivonem Carnotensem Episcopum in IV. parte Decreti cap. XIV. & apud Burchardum VVormatiensem Præsulem in libro II. Decreti cap. LXXVII. statutum hoc de diebus festis recenſetur ex Concilio Lugdunensi: *Pronunciandum est Laïcis ut sciant tempora feriandi per annum, id est omnem Dominicam à Vespera usque ad Vesperam, ne Judaïsmo capiantur, feriandi verò per annum isti sunt dies. Natalis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, Innocentium, S. Siluestri, Octauæ Domini & Theophaniæ, Purificatio S. Mariæ, sanctum Pascha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Adscensio Domini, sancti dies Pentecostes, sancti Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maximè tamen Sanctorum Petri & Pauli, qui mundum sua prædicatione illuminauerunt, S. Laurentij, Adsumptio S. Mariæ, Natiuitas S. Mariæ, Dedicatio Ecclesiæ S. Michaëlis Archangeli, Dedicatio cujuscumque Oratorij & omnium Sanctorum & S. Martini & illæ festiuitates quas singuli, Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauerint, quæ vicinis tantùm circummorantibus*

*tibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas verò festiuitates per annum non sunt cogendi ad feriandum, nec prohibendi. Indictum verò jejunium quando fuerit denunciatum, ab omnibus obseruetur.* Concilium istud Lugdunense in x. Ecclesiæ sæculum ideo rejeci, quia cùm in nullis x. sæculo antiquioribus monumentis compareat, festúmque S. Siluestri quod in nullâ feriarum recensione superiùs allatâ deprehensum est, commemoret alteri sæculo adscribendum non putaui. Non potuit ad XI. vel XII. sæculum referri, vel ob id vnum, quòd à Burchardo laudetur, qui, Trithemio teste in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, *claruit sub sancto Henrico Imperatore anno Domini* MXX. Neque enim probabile fit Burchardum, qui viginti libros Decretorum ex Concilijs & Pontificibus ac Sanctis Patribus vnum in corpus compegit, ea Conciliorum, Pontificum ac Sanctorum Patrum decreta collegisse quæ suâ ipsius ætate promulgata fuerant, quæque eâ de causâ omnibus nota esse poterant ac peruia. Hujus autem Concilij Lugdunensis Acta, Canones & Decreta, ad nostras manus cùm non deuenerint, quo tempore celebratum sit, certò sciri non potest. Illud tantùm certi adfirmauerim, neque primum esse posse Concilium generale Lugdunense, anno MCCXLV. habitum, neque etiam secundum anno MCCLXXIV. coactum, quandoquidem qui ejus meminere tres scriptores Burchardus, S. Ivo, & Gratianus, ante ex hac vita migrauerant, quàm de

celebrando

celebrando vllo Lugdunensi Concilio generali quis cogitasset. Obijt enim Burchardus an. MXXVI. S. Ivo an. MCXIV. vel MCXV. & Gratianus an. MCLI. aut MCLII. Præterea cùm neque in ingenti Conciliorum collectione, neque in tribus Conciliorum Galliæ voluminibus neque in illorum siue Appendicibus siue Supplementis reperiatur Concilium istud Lugdunense, quâ ratione possent illius tempus & annus sine dubio prænotari? Tota itaque illius fides & auctoritas penes vnum Burchardum est, cujus in opere diligentia major, castigatiórque rerum delectus desiderantur à cordatis viris, quàm ab eo fuerit adhibitum. Vtrùm Diœcesanum sit, vtrum Prouinciale, & à quo celebratum, cùm non designauerit Burchardus, nescitur omnino. At quodcumque tandem illud sit, ejus de festis decretum ex Ahytonis Basiliensis Episcopi capitulo VIII. quibusdam additis & immutatis quæsitum videtur. Vtriusque verba proferimus iterum vno intuitu conspicienda.

| *Ex Ahytonis Capitulari capit.* VIII. | *Ex Concilio Lugdunensi, cap.* Pronuntiandum. |
|---|---|
| PRonuntiandum est vt sciant tempora feriandi per annum, ideſt omnem Dominicam à *mane* vſque ad Vesperam, ne Iudaïsmo capiantur. Feriandi | PRonunciandum est *Laïcis* vt sciant tempora feriandi per annum, ideſt omnem Dominicam à *Vespera* vſque ad Vesperam, ne Iudaïsmo capiantur. Feriandi |

di verò per annum isti sunt dies, Natalis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Octaua Domini, Theophania, Purificatio S. Mariæ, Sanctum Pascha *vsque ad Octauam diem* Rogationes tribus diebus, Adscensio Domini, *Sabbatum sanctum*, Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maximè tamen SS. Petri & Pauli qui *Europam* sua prædicatione illuminauerunt, Adsumptio S. Mariæ, Dedicatio *Basilicæ* S. Michaëlis Archangeli, Dedicatio cujuscumque Oratorij *seu cujuslibet sancti in cujus honore eadem Ecclesia fundata est*, *quod* vicinis tantùm circummorantibus indicendum est, non generaliter, omnibus. Indictum verò jejunium quando *à Palatio vel à*

Feriandi verò per annum isti sunt dies, Natalis Domini, S. Stephani, S. Ioãnis Euangelistæ, Innocentium, *S. Siluestri*, Octauæ Domini, & Theophaniæ, Purificatio S. Mariæ, sanctum Pascha *cum tota hebdomada*, Rogationes tribus diebus, Adscensio Domini, *Sancti dies* Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maximè tamen SS. Petri & Pauli qui *mundum* sua prædicatione illuminauerunt, *S. Laurentij*, Adsumptio S. Mariæ, *Natiuitas S. Mariæ*, Dedicatio *Ecclesiæ* S. Michaëlis Archangeli, Dedicatio cujuscumque Oratorij, *& omnium Sanctorum & S. Martini, & illæ festiuitates quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauerint*, quæ vicinis tantùm circummorantibus.


*Domno* fuerit denuntiatum, ab omnibus *generaliter* obſeruetur. Reliquæ verò feſtiuitates per annum, S. *Remedij*, S. *Mauricij*, S. *Martini* non ſunt cogendæ ad feriandum, nec *tamen prohibendum ſi plebes hoc caſte & zelo Dei cupiunt exercere.*

bus indicendæ *ſunt*, non generaliter omnibus. Reliquas vero feſtiuitates per annum non ſunt cogendi ad feriandum, nec prohibendi. Indictum verò jejunium quando fuerit denuntiatum, ab omnibus obſeruetur.

Quæ literis Italicis conſignantur, vtriuſque capitis varietatem oſtendunt, quæ maximi momenti non eſt. Faciunt ad conſonantiam diuerſæ capitis *Pronuntiandum* lectiones quædam. Vox enim *Laïcis* à Vaticanis exemplaribus abeſt, Burchardo & S. Ivone; loco *Octaua Domini* Burchardus habet *Octaua Domini*; & pro *Dedicatio Eccleſiæ S. Michaëlis*, legunt alij *Dedicatio Baſilicæ S. Michaëlis*. Sabbatum ſanctum pro feſto haberi vult Ahyto, Lugdunenſe verò Concilium de eo ſilet, ſicut & de præcipui Eccleſiæ cujuſlibet Patroni feſto. Sancti Martini feſto die, laborum remiſſionem imperat cap. *Pronuntiandum*; Ahyto *non cogendum ad feriandum* dicit, neque etiam inferijs SS. Remigij & Mauricij, quas omittit Lugdunenſe Concilium. Natiuitatem S. Mariæ, S. Laurentij Natalem, atque omnium Sanctorum ſolemnia, Ahyto reliquit inſalutata; quæ tamen Lugdunenſe Concilium commemorat. Quod autem ad Ahytonis illa verba obſeruauimus: *Duodecim Apoſtolorum*

*maximè*

*maximè tamen SS. Petri & Pauli qui Europam suæ prædicatione illuminauerunt:* Idipsum ad eadem Lugdunensis Concilij verba videtur obseruandum; non alio nimirum sensu ab Ahytone locutum esse, cujus verba mutuatum est, neque de singulis omnium Apostolorum festis accipiendum, sed de beatorum Petri & Pauli solummodo: nisi fortè (quod Græcis in more positum adnotauimus ex Durando) eodem die Sanctorum omnium Apostolorum festa censeamus agitata, quo SS. Petri & Pauli natales in Ecclesia frequentantur. Celebritatem Pentecostes ad vnum diem reuocat Ahyto nudè præcipiens, *Pentecostes*; ad plures Lugdunense Concilium his verbis, *Sancti dies Pentecostes*, licèt non apertos illos, fixos seu ad certum numerum determinatos.



## Capvt XVI.

### *Quidnam de festis diebus* XI. *sæculo præcipiant Concilium Ænhamense & Concilium Salegunstadiense?*

SÆculo Ecclesiæ vndecimo, quod Bellarminus in altera parte Chronologiæ breuis ad calcem libri de Scriptoribus Ecclesiasticis positæ, *infelix*, vocat, *in quo nulli Scriptores illustres, nulla Concilia, Pontifices parum soliciti de republica*, Concilia duo duabus in orbis Christiani partibus diuersis habita, quosdam nobis dies festos, in Anglia & Germania celebratos;

bratos; repræſentant.

Alterum Ænhamenſe dicitur, generale ſeu Pan-Anglicum (vt Spelmano placet appellare in tom. I. Conciliorum orbis Britannici) quod hortatu Alfeagi Dorobernenſis, & VVlſtani Eboracenſis Archiepiſcoporum ab Æthelredo Anglorum rege edictum eſt, accerſitiſque Epiſcopis & Vniuerſis Anglorum Optimatibus in die ſancto Pentecoſtes anno Domini MIX. celebratum cujus in Concilij (quod è Saxonico idiomate in Latinum tranſtulit Guillelmus ab Inſula) cap. XV. de feſtis ac jejunijs hæc leguntur: *Feſtiuitates & jejunia debitè teneantor. Feſtiuitatem diei ſolis, prout ad eamdem pertinet feruentiùs quiſque obſeruato, à mercaturis & conuentibus populi, puta ſæcularibus & forenſibus, à venatione etiam & mundanis operibus in Sancta illa die ſedulus abſtineto. Sanctæ Mariæ ſuum feſtum cautius omnes honoranto, primùm jejunio & deinceps celebritate. Singulorum quoque Apoſtolorum feſtiuitates religiosè quiſque celebret jejunio, præterquam Philippi & Iacobi, quibus propter Paſchatis gratiam & celebritatem jejunium non indicimus, niſi voluntarium. Cetera omnia feſtorum jejunia quiſque teneat diligenter ad eorum exemplar qui hæc optimè obſeruauerint.* Etſi verò paucas in eo capite celebritates enumeret Ænhamenſe Concilium; etſi Dominicam diem, Pentecoſten, Adſcenſionem Domini, Circumciſionem, Epiphaniam ac Natalem Chriſti ſileat; etſi vnum tantummodo Beatæ Virginis Mariæ feſtum proſequatur. (quod Adſumptionis feſtum

ſtum puto) nihilque de S. Ioannis Baptiſtæ, S. Stephani, S. Laurentij, S. Martini, S. Gregorij maximè apud Anglos commendati, ac Sanctorum Innocentium, ſolemnijs loquatur; ab eo tamen & illius ætate feriarum numerum vehementer amplificatum fuiſſe declaratur his vocibus: *Singulorum Apoſtolorum feſtiuitates religiosè quiſque celebret jejunio.* Quotquot enim in præcedentibus capitibus feſtos dies recenſuere, ſi rectè intelligantur, non *ſingulorum Apoſtolorum*, ſed quatuor tantùm, videlicet SS. Petri, Pauli, Ioannis Euangeliſtæ & Andreæ, vel omnium ſimul, *feſtiuitates* imperant. Quare dum heic *ſingulorum Apoſtolorum feſtiuitates religiosè* à quolibet *celebrari* decernit Ænhamenſe Concilium, id arbitror executioni demandare quod ab Erpfordienſi Concilio an. DCCCCXXXII. de agendis SS. XII. Apſtolorum ferijs fuerat conſtitutum.

Alterum, Salegunſtadienſe nuncupatur, quod in cauſa Eccleſiaſticæ diſciplinæ tempore Benedicti Papæ VIII. & Henrici Imperatoris, celebratum eſt ab Aribone Archiepiſcopo Moguntino, *decimo & nono poſt S. Bonifacium Martyrem*, inquit Trithemius in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, vbi de Aribone & præfato Concilio hæc addit: *Celebratâ Synodo apud Selgenſtat cum Burchardo Epiſcopo VVormatienſi & alijs Epiſcopis atque Abbatibus ſuis, anno Domini* MXXIII. *indictione* VI. *multa vtilia conſtituit quæ in ſcripturis authenticis habentur.* Atqui in hujus Concilij capitulo I. De feſtis & jejunijs iſta reperias: *Vt*

quatuor-

*quatuordecim dies omnes Christiani ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ in abstinentia fuit carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente; & ante Natiuitatem Domini similiter & in Vigilia Epiphaniæ & in omnium Vigilijs Apostolorum, & in Vigilia Adsumptionis S. Mariæ, & in Vigilia S. Laurentij, necnon etiam in Vigilia omnium Sanctorum; adijcientes prædictis Vigiliis vnam horam refectionis, exceptâ infirmitate, nisi aliquis sit qui proprio voto majori abstinentiâ vti velit.* Christianos omnes esse *in abstinentia carnis & sanguinis in Vigilia Adsumptionis S. Mariæ*, dum jubet, Adsumptionem S. Mariæ omnium celebritatum maximam, ostendit quæ Deiparæ Virginis beneficijs tribuuntur, atque ideo non injuria S. Mariæ festum per excellentiam nominari. Quàm solemnia existimauerit fieri debere S. Ioannis Baptistæ Natalia, quatuordecim dierum eo præcedentium jejunio innuitur. Omnium Apostolorum Vigilias dum ait, omnium Apostolorum festa vult intelligi, eáque suâ ætate recepta fuisse in Germaniis contestatur. Sed & ibidem receptum indicat omnium Sanctorum festum, quod & in Gallijs nostris Herardus Turonensis Antistes, & Concilium Lugdunense in cap. *Pronuntiandum,* & in Anglia Aluredus Magnus, præceperant. Plura autem in Germanijs vsitata fuisse XI. sæculo festa quàm quæ à Concilio Salegunstadiensi memorantur, probant hæc ejusdem Concilij verba: *Alicujus festi solemnitate quæ in illo Episcopio,*

*copio celebris habetur, intercedente:* quibus aliqui dies feriati, ab enarratis diuersi insinuantur. Neque verò probabile est Aribonem Moguntinum Archiepiscopum, Concilij Moguntini Canoni XXXVI. de festis, in Concilio Salegunstadiensi fidem & auctoritatem derogasse, aut imperata ab eo festa sustulisse. Eas ergo heic tantummodo ferias percurrit, quarum in Vigilijs extraordinarium, & non consuetum jejunium seruari cupiebat.

## Capvt XVII.

*Quid* XI. *sæculo de festis diebus Græcorum statuerint Emmanuel Comnenus Imperator, & sui Ordinis ac temporis Guigo Carthusiæ majoris* V. *Prior Generalis.*

MAnuel siue Emmanuel Comnenus Imperator, quem annos XXXVIII. regnasse, anno autem MCXLIII. regnare incepisse comperio, Constantini Magni, Valentiniani, Theodosij aliorúmque Christianorum Imperatorum exemplum imitatus, anno MCLXVI. mense Martio, Constitutionem edidit quæ refertur à Photio Constantinopolitano Patriarcha in nomo-Canone, titulo VII. cap. I. & ab Enimundo Bonefidio I. C. in lib. I. juris Orientalis, titulo περὶ ἀπράκτων ἡμερῶν, in qua festos Græcorum dies ita percenset:

Θεσπίζομεν

Θεσπίζομεν οὖν ἐκείνας εἶναι τῶν ἡμερῶν ἀπράκτους, ἃς ἐν τῇ παρούσῃ διατάξει ῥητῶς ἀπαριθμησόμεθα. καὶ τινὰς μὲν αὐτῶν τὸ πάντη ἄπρακτον ἔχειν, ὡς μηδαμῶς δὲ ὅλου τοῦ αὐτῶν διαστήματος συνίστασθαι δικαστήριον, εἰ μὴ βασιλεὺς ἴσως οἰκονομίας τρόπῳ, ἢ ἀνάγκη (ὁποῖα πολλάκις τὸ περιπετὲς τῶν πραγμάτων νεανιεύεται) θελήσει καθίσαι, καὶ ἐν αὐταῖς δικαστήριον. Τινὰς δὲ ἀπὸ μέρους ἄγειν τῶν δικαστηρίων σχολήν. ὡς οἷον ἕωθεν μέχρι καὶ εἰς αὐτὸν τὸν τῆς θείας λειτουργίας καιρόν. Ἵνα τοῖς δικασταῖς ἐξείη προσανέχειν εὐχῇ, καὶ τῇ περὶ τὸ θεῖον δοξολογίᾳ. καὶ μετὰ τὴν θείαν ἱεροτελεστίαν ἐπιμελεῖσθαι καὶ τῆς δικαιοσύνης, καὶ τοῖς ἄδικα πεπονθόσιν ἐπαρήγειν κατὰ τὴν τοῦ νόμου ἰσχύν. οἱ μέντοι οὕτω μετὰ τὴν θείαν λειτουργίαν ἐπιτετραμμένοι δικάζειν, ἐν τοῖς γινομένοις παρ' αὐτῶν σημειώμασι μεμνήσονται τοῦ καιροῦ καθ' ὃν τὰ σημειώματα πράττονται.

Καὶ δὴ πρῶτον περὶ τῶν τελείως ἀπράκτων διαληπτέον. ἡ τοίνυν κατὰ τὴν η΄. τοῦ σεπτεμβρίου μηνὸς γενέθλιος ἡμέρα τῆς παναχράντου δεσποίνης καὶ θεομήτορος, ἄπρακτος ἐστίν. ὡσαύτως καὶ ἡ ιδ΄. τῇ ὑψώσει τιμωμένη τοῦ ζωοφόρου σταυροῦ, καὶ ἡ κϛ΄ διὰ τὴν τοῦ Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου μετάστασιν. ἡ ϛ΄. τοῦ ὀκτωβρίου, διὰ τὸ τὴν μνήμην ἐν αὐτῇ τελεῖσθαι τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Θωμᾶ. ἡ θ΄. διὰ τὸν τοῦ Ἀλφαίου Ἰάκωβον τὸν ἀπόστολον καὶ ἡ ι΄. διὰ τὸν ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστὴν Λουκᾶν. ἡ ιγ΄. τοῦ νοεμβρίου μηνὸς, ὅτι ἐν αὐτῇ ἡ μνήμη τοῦ Κρυσοστόμου τελεῖται. ἡ ιδ΄, ὅτι ἐν αὐτῇ ὁ ἀπόστολος Φίλιππος ἑορτάζεται. ἡ ιϛ΄. ὅτι ὁ εὐαγγελιστὴς καὶ ἀπόστολος Ματθαῖος τιμᾶται. ἡ κα΄. ὅτι τὰ εἰς τὸν ναὸν εἰσόδια τῆς θεομήτορος ἐν ταύτῃ πανηγυρίζεται. καὶ ἡ λ΄. ὅτι ὁ ἀπόστολος Ἀνδρέας ἐν αὐτῇ ἑορτάζεται.

ἡ θ΄. τοῦ δεκεμβρίου, ὡς τῆς συλλήψεως ἐν αὐτῇ πληρουμένης τῆς ὑπεραγίας μητρὸς τοῦ θεοῦ ἡμῶν. ἡ κ΄. μέχρι καὶ αὐτῆς τῆς ϛ΄. τοῦ Ιαννουαρίου, ὡς ἐν αὐταῖς ἑορταζομένων τῶν γενεθλίων καὶ τοῦ βαπτίσματος τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. ἡ ιη΄. τοῦ αὐτοῦ Ιαννουαρίου, διὰ τοὺς θείους πατέρας καὶ διδασκάλους, Αθανάσιον καὶ Κύριλλον. ἡ κε΄. τοῦ αὐτοῦ μηνὸς, διὰ τὴν μνήμην τοῦ μεγάλου πατρὸς Γρηγορίου τοῦ θεολόγου. ἡ β΄. τοῦ φεβρουαρίου, διὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ὑπαντήν. καὶ ἡ γ΄. διὰ τὴν τῆς μνήμης τοῦ θεοδόχου Συμεὼν τελετήν. ἡ κε΄. τοῦ μαρτίου, διὰ τὸν τῆς θεομήτορος εὐαγγελισμόν. αἱ πασχάλιου τῶν ἡμερῶν ἀπ᾽ αὐτῆς τῆς τοῦ Λαζάρου ἐγέρσεως, μέχρι καὶ ἐς αὐτὴν τὴν μετὰ τὸ ἅγιον πάσχα ὀκδόην. ἡ κϛ΄. τοῦ ἀπριλλίου, διὰ τὸν ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστὴν Μάρκον. καὶ ἡ λ΄. διὰ τὸν ἀπόστολον Ἰάκωβον τὸν τοῦ θεολόγου καὶ εὐαγγελιστοῦ ἀδελφόν. ἡ η΄. τοῦ μαΐου, διὰ τὴν μνήμην τοῦ εὐαγγελιστοῦ Ιωάννου τοῦ θεολόγου. ἡ ι΄. διὰ τὴν τοῦ ἀποστόλου Σίμωνος τοῦ Ζηλωτοῦ. ἡ κα΄. διὰ τὴν μνήμην τῶν ἁγίων καὶ ἰσαποστόλων μεγάλων βασιλέων Κωνσταντίνου καὶ Ἑλένης. καὶ ἡ κϛ΄. διὰ τὴν τοῦ ἀποστόλου Ἀλφαίου τοῦ Ἰούδα. ἡ ια΄. τοῦ ἰουνίου, διὰ τὸν ἀπόστολον Βαρθολομαῖον. ἡ ιθ΄. διὰ τὸν ἀπόστολον Ἰούδαν, τὸν καὶ Θαδδαῖον καὶ Λεββαῖον καὶ Ἰάκωβον. ἡ κδ΄. διὰ τὸ τοῦ προδρόμου γενέθλιον. ἡ κθ΄. διὰ τὴν ἐπὶ τοῖς κορυφαίοις τῶν Ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου πανήγυριν. καὶ ἡ λ΄ διὰ τὴν ἐπὶ τοῖς δώδεκα. ἡ κε΄. τοῦ Ιουλίου, διὰ τὴν τῆς ἁγίας Ἄννης τῆς μητρὸς τῆς θεομήτορος κοίμησιν. ἡ ϛ΄. τοῦ αὐγούστου, διὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ μεταμόρφωσιν. ἡ θ΄. διὰ τὴν μνήμην τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ματθίου. ἡ ιε΄. διὰ τὴν ὑπερένδοξον τῆς ἁγίας θεοτόκου μετάστασιν. καὶ ἡ κ΄. διὰ τὴν μνήμην τοῦ ἁγίου ἀπο-

στόλου

στόλου Θαδδαίου. ἡ κδ΄. διὰ τὴν τοῦ ἀποστόλου Βαρθολομαίου. καὶ ἡ κθ΄. διὰ τὴν τοῦ τιμίου προδρόμου ἀποτομήν.

Ταύταις ὡς τέλειον ἀπαρεγκλίτοις συνεξισωθήσονται καὶ αἱ μεσότητες τῆς τεσσαρακονθημέρου νηστείας, καὶ τῆς πεντηκοστῆς, καὶ ἡ τοῦ σωτῆρος ἀνάληψις, καὶ αἱ πᾶσαι τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἡμερῶν κυριώνυμοι. ὡς ἐν αὐταῖς ἀποκεκλεῖσθαι πᾶσαν πάροδον εἰς τὸ δικαστήριον, καὶ μηδέν τι μηδένα τῶν δικάζειν λαχόντων δικαστικὸν διαπράττεσθαι.

Αἵτινες μὲν τὸ δικαστήριον ἀπὸ μέρους σχολάζουσαι, καὶ μὴ καθ' ὁλόκληρον (ὡς προδιειλήφαμεν) ἀπαρεγκλήσουσαι, εἶεν ἂν αὗται. κ. τ. λ.

Agit quidem in ea Constitutione Emmanuel Comnenus de illis diebus tantùm ex professo, quibus jurisdictionem intermissam volebat; nihilominus tamen ex ejus verbis intelligi datur, dies illos omnes quibus justitium indicitur ex toto, non vnis solùm judicibus ac litigantibus festos fuisse feriatósque sed & alijs omnibus verè Christianis Catholicis. Cùm enim ijs diebus qui judicium sistunt ex parte, ἐάσειν μέχρι καὶ εἰς αὐτὸν τὸν τῆς θείας λειτουργίας καιρὸν, decernat Imperator religiosissimus judices προσανέχειν εὐχῇ καὶ τῇ περὶ τὸ θεῖον δοξολογίᾳ: καὶ μετὰ τὴν θείαν ἱεροτελεστίαν ἐπιμελεῖσθαι καὶ τῆς δικαιοσύνης, καὶ τοῖς ἄδικα πεπονθόσιν ἐπαρήγειν, κατὰ τὴν τῶν νόμων ἰσχύν: nonne manifestò videtur indicare dies illos, qui toti feriati appellantur, totos eo modo feriatos reuera fuisse apud judices, clamosámque ceterorum litigantium turbam, quo apud reliquos omnes Christianos? Quod si ita res habeat,


beat, quanta Deus bone! festorum dierum accessio facta est ab Imperatore Emmanuele Comneno, post duodecimæ ætatis medium. Quàm multa festa addidit, quæ in allatis antea feriarum recognitionibus omnibus non inueniuntur. Ea verò sunt: *Apostoli & Euangelistæ Ioannis Theologi transmutatio*; festum S. *Lucæ Apostoli & Euangelistæ*; *memoria Patris Chrysostomi*; *Dei genitricis in templum introitus*; *Genitricis Dei nostri Conceptio*; *Natalitia & Baptismus Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi*, à die xx. Decembris, *vsque ad ipsum* VI. *Ianuarij*; celebritas *diuinorum Patrum & Doctorum Athanasij & Cyrilli*; *memoria magni Patris Gregorij Theologi*; *memoria Simeonis Dei susceptoris*; *dies Paschales ab ipsa Lazari resurrectione*, hoc est à feria VI. ante Dominicam Passionis, *vsque ad ipsum post sacrum Pascha Octauum*; festum *Apostoli & Euangelistæ Marci*; *memoria Sanctorum ac Apostolis æqualium magnorum Imperatorum Constantini & Helenæ*; memoria *Bartholomæi Apostoli*, die XI. Iunij. Nam & illius festum memoratur die XXIV. Augusti; XII. *Apostolorum celebratio*; S. *Annæ matris Dei genitricis obdormitio*; *Seruatoris nostri Iesu Christi transformatio*; *venerabilis Præcursoris decollatio*; ac denique *medietates Quadragesimalis jejunij & dies Pentecostæ*, heic autem animaduertas velim ab Emmanuel Comneno nullos indici festos dies post Pentecosten, ne quidem secundam ac tertiam feriam; non percenseri omnium Sanctorum, non Dedicationis Ecclesiæ; non Patroni cujuslibet Ecclesiæ,

clesiæ, non S. Michaëlis, non S. Laurentij, non S. Martini, non S. Remigij, non S. Siluestri, non Inuentionis S. Crucis solemnia, non denique Rogationum tres dies, de quibus tamen omnibus ante ipsius tempora mentionem fecerunt quos suprà retulimus scriptores, quæ suprà laudauimus Concilia. Quo sensu ab eo S. Marcus vocetur *Apostolus & Euangelista*, latet mihi, qui S. Marcum Apostolis adnumeratum alibi nunquam legi.

Guigo cognomento de Castro Valentinensis in Delphinatu, quintus à Beato Brunone Generalis prior Carthusiæ majoris, & S. Bernardo carissimus, quo tempore Carthusianis fratribus vino vti liceat explicans in cap. L I. Statutorum Carthus. festos dies Ecclesiæ suâ ætate hoc est ante an. MCXXXVII. quo obiit ex Trithemio in lib. de script. Eccles. ita percenset: *Fratres qui domi sunt quintâ tantùm feriâ & in solemnitatibus quæ capitulum habent, semel in die vinum accipiunt. Quòd si diebus aliis aliquando de misericordiâ vinum accipiunt, non tamen nisi semel in die datur, nisi fortè causâ cogente necessariâ vel honestâ. In Natali tamen Domini diebus* IV. *Circumcisione, Adparitione, Purificatione, Adnuntiatione (si die binæ refectionis celebretur) Pascha diebus* IV. *Adscensione, Pentecostes diebus* III. *solemnitate S. Ioannis, Apostolorum Petri & Pauli, Adsumptionis, Dedicationis, Natiuitatis beatæ Mariæ, Exaltationis S. Crucis, S. Michaëlis, Omnium Sanctorum, bis habent vinum.* Quod trito nomine *Epiphaniæ* seu *Epiphaniam* cum Græcis dicimus, heic

*Adparitionem*

*Adparitionem* vocat Guigo; qui & *Exaltationis S. Crucis*, & *Dedicationis beatæ Mariæ* Solemnia raro exemplo feriatis accenſet temporibus. Neque enim *Dedicationis* vocabulo, *Dedicationis Eccleſiæ* feſtum accipi poſſe, orationis contextus patitur: ſed illud tantùm, quod *Dedicationis S. Mariæ ad niues appellatur.*



## Capvt XVIII.

### *Quid de feſtis decreuerint* XIII. *ſæculo Synodus Galonis & Simonis S. A. Legatorum, & Concilium Oxonienſe?*

ANno MCCXV. quo celebratum legimus Concilium generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ſedis Apoſtolicæ legati Galo & Simon temporibus Philippi regis Auguſti, Synodum habuere in Galliis noſtris, cuius decretum de feſtis diebus, capiti *Pronuntiandum* Lugdunenſis Concilij, aliquatenus concordans, his verbis refert Laurentius Bochellus, in lib. IV. Decretum Eccleſiæ Gallicanæ, tit. IX. cap. XIII. *Pronuntiandum eſt laicis vt ſciant tempora feriandi per annum, id eſt omnem Dominicam à veſpera in veſperam. Feriandi verò per annum ſunt iſti dies: Natiuitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Euangeliſtæ, Mariæ Adnunciatio, Purificatio & Adſumptio ipſius: dies Paraſceuæ cum omni reuerentia & honore, ſanctum*

*Paſcha*

*Pascha cum duobus diebus sequentibus ad minus; Adscensio Domini, Inuentio S. Crucis, sancti dies Pentecostes; S. Ioannis Baptistæ natiuitas & Decollatio, duodecim Apostolorum & maximè SS. Petri & Pauli, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Iudæ, qui suâ prædicatione mundum illuminauerunt, S. Laurentij, S. Michaëlis Archangeli, S. Vincentij, Dedicatio cujuslibet oratorij, omnium sanctorum, sanctorum Pontificum, S. Hilarij, S. Martini, beati Nicolai & S. Mariæ Magdalenæ, & illæ festiuitates quas singuli presbyteri in suis Ecclesiis colere consueuerunt. Conceptio autem beatæ Mariæ hodie de mandato sedis Apostolicæ celebratur. Reliquas verò festiuitates non sunt aliqui cogendi ad feriandum, sed monendi vt iuxta morem antiquum obseruent.* In eo discrepat à capite *Pronuntiandum* Synodus illa, quòd neque Natiuitatis beatæ Mariæ, neque SS. Innocentium, neque S. Siluestri, neque octauæ Domini, & Theophaniæ festa, neque Rogationum tres dies persequatur, de quibus Lugdunense Concilium; imperet autem S. Nicolai, S. Hilarij, Decollationis S. Ioannis Baptistæ, Inuentionis S. Crucis, Adnuntiationis S. Virginis Mariæ, S. Vincentij, omnium sanctorum & S. Mariæ Magdalenæ ferias, vnâ cum die Parasceues: agâtque de sancto Paschatis festo *cum duobus* tantùm *sequentibus diebus ad minus:* & Apostolos in nullis Latinis festorum dierum recognitionibus memoratos, quatuor præsertim appellet, Bartholomæum, Matthæum, Simonem & Iudam, ac eorum à fideli populo celebritates frequentari constituat:

quorum

quorum omnium nulla in Concilio Lugdunensi memoria. Conceptionis S Mariæ festum diem meminisse videtur omnium primus inter Græcos Emmanuël Comnenus A. Eiusdem heic prima inter Latinos scriptores, quos hactenus protulimus, meminit Synodus Galonis & Simonis, non secus ac feriarum S. Nicolai, S. Vincentij, S. Hilarij, Decollationis S. Ioannis Baptistæ, & S. Mariæ Magdalenæ; quarum proinde initium in Galliis, Germaniis, Anglia & Romano imperio*, ad annum MCCXV. referri potest. His autem verbis: *Duodecim Apostolorum & maximè SS. Petri & Pauli, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Iudæ, qui sua prædicatione mundum illuminauerunt*: ea non parum confirmantur, quæ tum ad Haitonis Basileensis Episcopi capitulum VIII. tum ad caput *Pronuntiandum*, de festis SS. Apostolorum diebus à nobis præscripta sunt. Si enim vtroque in loco SS. duodecim Apostolorum festa singulatim enarrarentur, cur Galonis & Simonis Synodus, quæ eo tempore celebrata est quo feriarum numerus iam plurimùm creuerat, quæque suum illud de festis statutum ex Haitonis capitulo VIII. vel & cap. *Pronuntiandum* quæsiuit, indicatis S. Ioannis Euangelistæ ac SS. Petri & Pauli solemniis, S. Bartholomæi, S. Matthæi SS. Simonis & Iudæ celebritates solummodo enumerat? Plurium sanè quàm septem Apostolorum festa imperasset, si duodecim Apostolorum festa ab Haitone aut Lugdunensi Concilio fuissent imperata. Quare vel nondum ad Galonis ac Simonis

Simonis legatorum notitiam deuenerat Erpfordiense Concilium, quo XII. Apostolorum festa præcipiuntur; vel, si deuenerat, contra illius definitionem licere sibi non Apostolorum duodecim, sed septem tantùm ferias indicere, crediderunt. Sunt qui putent Synodum illam Lutetiæ Parisiorum coactam fuisse. Sed eâ de re nihil certi habeo quod adfirmem. Constat illi præfuisse Simonem & Galonem, vnde Simonis & Galonis Synodus nuncupatur. Aliquando enim & maximè tertia regum nostrorum sub prosapia, Gallicanæ Ecclesiæ Conciliis ac Synodis præsidebant Romani Pontificis legati, cuiusmodi erant Galo & Simo. Nam (vt Simonem missum faciam, quem nemo legatum fuisse non confitetur) Galo ille, seu Gualo, non Episcopus fuit Parisiensis, vt falsò sibi persuadent nonnulli, quem VII. Calendas Martias, anno Domini MCXIV. fato functum lego apud Sammarthanos fratres in Galliâ Christianâ; sed Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ in Porticu, qui (Ciaconio auctore in Innocentio III.) anno MCCVIII. Innocentij III. nomine legatus in Gallias missus fuit.

Honorij III. Papæ temporibus, anno Christi MCCXXII. Stephanus Langtonius Cantuariensis Archiepiscopus Oxoniense Concilium *pro reformanda Ecclesiâ Anglicanâ* habuit, in quo de Ecclesiasticis feriis ita fatur: *Statuimus quòd festa subscripta sub omni veneratione seruentur; videlicet omnes dies Dominici, quinque dies Natalitij, Circumcisio, Epiphania Domini, omnia*

E festa

*festa beatæ Mariæ præter festum Conceptionis, cuius celebrationis non imponitur necessitas, Conuersio S. Pauli, Cathedra S. Petri, festa omnium Apostolorum, festum S. Gregorij, dies Parasceues, feria* II. III. & IV. *in hebdomoda Paschali, dies Adscensionis Domini, feria* II. III. & IV. *in hebdomada Pentecostes, festum S. Augustini in Maio, duo festa Sanctæ Crucis, Translatio S. Thomæ Martyris, vtrumque festum S. Ioannis Baptistæ, festum S. Margaretæ, festum S. Mariæ Magdalenæ, festum S. Petri ad vincula, festum S. Laurentij, festum S. Michaëlis, festum omnium sanctorum, festum S. Martini, festum S. Edmundi confessoris & S. Edmundi regis & Martyris, festum S. Clementis, festum S. Nicolai, festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiæ in sua Parochia, quodlibet festum illius sancti in cuius honore fundata est Ecclesia.* Quantum ab anno Christi circiter DCCCLXXXVII. quo Aluredus Magnus Anglorum rex floruit, & ab anno MIX. quod Ænhamensis Concilij generalis celebrati tempus est, ad annum MCCXXII. quo coactum est Oxoniense Concilium, multiplicati fuerint in Anglia festi dies, ex his vocabulis manifestum fit. Quas enim suprà in cap. XIV. Aluredus Magnus, & in cap. XVI. Ænhamense Concilium enumerant feriis addidit Concilium Oxoniense festa Adnuntiationis, Purificationis & Natiuitatis beatæ Mariæ. (Non addidit *festum Conceptionis, cuius celebrationis non imposuit necessitatem*) addidit Pentecosten, ac ferias II. III. & IV. *in hebdomoda Pentecostes*, quòd ita apertè declaratum hactenus non legeramus,

geramus; addidit denique festa Conuersionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, Adscensionis Domini, S. Augustini Anglorum Apostoli, Inuentionis & Exaltationis Sanctæ Crucis, Translationis S. Thomæ Martyris, Natiuitatis & Decollationis S. Ioannis Baptistæ, S. Margaretæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Petri ad vincula, S. Laurentij S. Michaëlis, S. Martini, S. Edmundi confessoris, S. Edmundi regis ac Martyris, S. Clementis, S. Nicolai, Dedicationis cuiuslibet Ecclesiæ, pariter ac præcipui Patroni. Contrà verò quas imperauerant Aluredus Magnus & Concilium Ænhamense ferias aliquot rescidit, quemadmodum vel legentibus innotescet, & quos festos dies seu addidit seu detraxit, Christianis omnibus cùm liberis, tum seruis hominibus addidit vel detraxit. Heic porrò primùm singulis Paschatis ac Pentecostes celebritatibus agitandis quatuor definiti dies adsignantur; heic primùm conuersionis S. Pauli, cathedræ S. Petri, S. Augustini Anglorum Apostoli, Translationis S. Thomæ Martyris, S. Margaretæ, S. Petri ad vincula, S. Edmundi confessoris S. Edmundi regis ac martyris, & S. Clementis, solemnia edicuntur.



## Capvt XIX.

*Eodem sæculo* XIII. *quid de festis diebus præceperint Tolosanum Concilium, Gregorius Papa* IX. *&* MS. *Cenomanensis Synodus?*

CONjunctissimus nobis Lucas Acherius in tomo II. Sui veterum Scriptorum Spicilegij, Concilium Tolosanum primò edidit, anno Domini MCCXXVIII. celebratum, quo ita de festis diebus cauetur in capite VII. *Dies festiuos dicimus sicut in canonibus continetur. Natale Domini, sancti Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, Innocentium & S. Syluestri; Circumcisio Domini, Epiphania, Purificatio, Adnunciatio, Adsumptio & Natiuitas beatæ Virginis; sanctum diem Pascha cum duobus sequentibus diebus item Rogationes tribus diebus, diem Pentecostes cum duobus sequentibus diebus; inuentionem & Exaltationem sanctæ Crucis, natale S. Ioannis Baptistæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Laurentij, S. Martini, S. Nicolai, Dedicationem S. Michaëlis, Dedicationem cuiuscumque oratorij, & festiuitatem cuiuslibet sancti in cuius honore constructa est Ecclesia, item omnem diem Dominicam. In his itaque diebus secundum Canones & antiquam consuetudinem est ab omni opere feriandum & etiam in aliis festiuitatibus pro locorum variis consuetudinibus,* prout

*provt Prælatus induxerit. Huiusmodi autem festiuitates debent sacerdotes populo suo adnuntiare quolibet die Dominico in missa.* Mirare heic ne vnum quidem Apostolorum festum nominari, non Petri & Pauli, non Andreæ, non Ioannis Euangelistæ quorum solemnia in veteribus feriarum recensionibus habentur imperata; simúlque hunc stomachi delicatioris hominibus quibusdam ex animo scrupulum euelle, qui nostrorum temporum Episcopis antiquari non posse aliqua SS. Apostolorum festa pertinaciùs adseuerant. Mirare præterea Adscensionis Dominicæ festum diem aliis non accumulari; duósque tantùm post Pascha, ac totidem post Pentecosten dies feriatos edici, obiter obserua.

Gregorius Papa IX. qui anno Christi MCCXL. florebat adhuc, in libro II. Epistolarum Decretalium, quas adiuuante Capellano & pœnitentiario suo, S. Raymundo de Penna-forti, Barcinonensi, ordinis FF. Prædicatorum, vnum in volumen redegit, titulo IX. de feriis, cap. V. *Conquestus*, dies enumerans quibus ab omni iudiciali strepitu abstinendum est, Christianas quoque recenset ferias hoc modo: *Quamuis non prorogari sed expediri deceat quæstiones, debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reuerentiam Dei noscuntur esse statuti: scilicet natalis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, Innocentium, S. Syluestri Circumcisionis, Epiphaniæ, septem diebus Dominicæ Passionis, Resurrectionis cum septem sequentibus, Adscensionis,*

*Pentecostes cum duobus qui sequuntur, Natiuitatis Baptistæ: festiuitatum omnium virginis gloriosæ, duodecim Apostolorum & præcipuè Petri & Pauli, beati Laurentij, Dedicationis beati Michaëlis, solemnitatis omnium sanctorum, ac diebus Dominicis, ceterisque solemnitatibus quas singuli Episcopi in suis diœcesibus cum clero & populo duxerint solemniter venerandas: quibus vtique solemnibus feriis (nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat) vsque adeo conuenit ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit diebus huiusmodi promulgari.* En qui fuerint in Romana curia sacri dies ac religiosi, quibus iustitium imperabatur. Vnde non eodem loco habitam Pentecostes, quo Paschatis celebritatem colligere est, quandoquidem illi, tres tantùm dies adscribuntur; huic autem, quindecim. Quin his verbis (*festiuitatum omnium virginis gloriosæ*) Sanctæ Mariæ Conceptionis festum intelligatur, nemini dubium esse potest qui ad ista Synodi Galonis & Simonis verba respexerit. *Conceptio beatæ Mariæ hodie de mandato sedis Apostolicæ celebratur.* Neque enim celebratam in Galliis nostris anno MCCXV. Innocentij III. iussu Conceptionis Deiparæ virginis feriam, aliquo iure credi potest à Gregorio IX. Innocentij III. primo post Honorium III. successore, rescissam fuisse atque abrogatam. Quibus autem rationibus non præceptas ab Haitone Basileensi Episcopo, & Concilio Lugdunensi, cap. *Pronuntiandum* his verbis (*duodecim Apostolorum, maximè tamen*

*sanctorum,*


*sanctorum Petri & Pauli)* omnium Apostolorum celebritates demonstrauimus : iisdem quoque non memoratas illas à Gregorio IX. probari haud difficiliter potest, quantumuis dicat: *duodecim Apostolorum, & præcipuè Petri & Pauli;* Nisi fortè concedamus tempore Ahytoni cuius verba adoptauit sibi Lugdunense Concilium, nondum coactum fuisse Erpfordiense Concilium, quod sequutus fuerit Gregorius IX. singulorum Apostolorum festa in cap. *conquestus* enumerans.

Synodus MS. (quam Cenomanensem putat qui eius mihi humanissimè copiam fecit è bibliotheca sua V. Cl. Blasius Feronius, Carnotensis Ecclesiæ Canonicus, Doctor ac Socius Sorbonicus) Ahytonis Basileensis Episcopi Capitulum VIII. & Lugdunensis Concilij caput *Pronuntiandum*, ita de festis diebus agens amplificauit: *Pronuntiandum est laicis vt sciant tempora feriandi per annum, scilicet omnem Dominicam à vespera vsque ad vesperam. Feriandi verò per annum sunt isti dies: Natale Domini, S. Stephani, Ioannis; Innocentium, Siluestri Papæ, octaua natalis Domini, theophania, natiuitas beatæ Mariæ, Adsumptio, Purificatio, Adnuntiatio, dies Parasceuæ cum omni reuerentia & honore, sanctum Pascha cum duobus diebus sequentibus ad minus, Adscensio Domini, Inuentio & Exaltatio S. Crucis, sancti dies Pentecostes, Natiuitas & Decollatio S. Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum & maximè Petri & Pauli; Andreæ, Iacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Iudæ, qui sua prædicatione mundum illuminauerunt,*

*uerunt, Laurentij & præcipuè sanctorum nostrorum Geruasij & Prothasij, in quorum honore mater Ecclesia fundata est, Michaëlis Archangeli, Dedicatio cuiuslibet oratorij, & omnium sanctorum & sanctorum Pontificum Iuliani & Martini, Nicolai & Mariæ Magdalenæ, & illæ festiuitates quas singuli presbyteri in suis Parochiis ab antiquo collaudauerint cum populo, quæ vicinis tantùm circummorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas verò festiuitates per annum non cogendi sunt ad feriandum, sed monendi sunt vt morem antiquum obseruent.* Alias à sanctorum Iuliani Geruasij & Prothasij celebritates nouas cùm non percẽsuerat illa Synodus, quàm quæ superiùs jam sæpe sæpius enarratæ sunt, non est cur in illius verbis expendendis diutiùs insistam. Quo tempore celebrata fuerit, planum non est omnino. Quia Concilij Lateranensis Generalis IV. sub Innocentio III. Canonem XXI. *Omnis vtriusque sexûs*, laudat, post annum MCCXV. habitam necesse est. Quare hanc ad sæculum XIII. referimus eo maximè, quòd festa tunc temporis recepta persequatur, alia sequioris æui non percurrat. Cenomanensem duabus de caussis existimat, Doctissimus Feronius: tum quòd Cathedralis Ecclesia Cenomanensis, quæ nunc S. Iuliani, olim SS. Geruasij & Prothasij titulo insignita sit, quorum his verbis mentionem facit: *Præcipuè sanctorum nostrorum Geruasij & Prothasij in quorum honore mater Ecclesia fundata est.* Tum etiam quòd prima omnium S. Iuliani festum præcipiat, qui primus Cenomanorum

Episcopus,

Episcopus perhibetur. Alias à Cenomanensi scio Cathedrales, vel in Gallijs Ecclesias SS. Geruasij & Prothasij sub tutela positas; sed in quibus festa sit feriatâque sancti Pontificis Iuliani dies, nullam scio præter Cenomanensem. Sic quæ diuisæ parum valerent Feronij rationes, conjunctæ plurimum valent, ex Iureconsultorum effato: *Qua non prosunt singula, multa iuuant.*



## CAPVT XX.

### *De festis diebus quid differat eodem sæculo* XIII. *Synodus VVigorniensis?*

ANno Domini MCCXI. & sui Pontificatûs tertio, VValterus de Cantilapo VVigorniensis Episcopus, VVigorniensem Synodum congregauit; quemadmodum videre licet apud Spelmanum ex tomo II. Conciliorum orbis Britannici, in qua festos Diœcesis suæ dies ista memorat circa finem: *Hæc sunt festa ferianda ex toto in Episcopatu VVigorniæ, scilicet dies Natalis Domini cum* IV. *diebus sequentibus, Circumcisio Domini, Epiphania Domini, Depositio S. VVolstani, Conuersio S. Pauli, Purificatio Beatæ Mariæ, Cathedra S. Petri S. Matthiæ Apostoli, depositio S. Osvvaldi, Adnũtiatio Dominica, dies Paschæ cum duobus diebus, S. Marci Euangelistæ, Apostolorum Philippi & Iacobi, Inuentio S. Crucis, Adscensio Domini, dies Pentecostes cum duobus diebus, Na-*

*tiuitas S. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Translatio S. Thomæ Archiepiscopi, S. Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi Apostoli, ad vincula S. Petri, S. Laurentij Martyris, Adsumptio S. Mariæ, S. Bartholomæi Apostoli, Natiuitas Beatæ Mariæ, Exaltatio S. Crucis, S. Matthæi Apostoli, S. Michaëlis Archangeli, S. Lucæ Euangelistæ, Apostolorum Simonis & Iudæ, festiuitas omnium Sanctorum, S. Martini Episcopi, S. Andreæ Apostoli, S. Nicolai, S. Thomæ Apostoli, omnes dies Dominici, festum cujuslibet Ecclesiæ, Dedicatio Ecclesiæ si fuerit matrix Ecclesia per totam Parochiam, si capella, tantummodo in Parochia.*

*Hæc sunt ferianda in omnibus præterquàm in carrucis; S. Vincentij Martyris, S. Ioannis ante Portam Latinam, S. Barnabæ Apostoli, S. Leonardi Abbatis, S. Clementis Papæ & Martyris, Translatio S. Osvvaldi Episcopi, S. Catherinæ Virginis & Martyris.*

*Hæc sunt ferianda ab operibus mulierum tantùm. Viz. S. Agnetis Virginis & Martyris, S. Luciæ Virginis & Martyris, S. Margaretæ Virginis & Martyris; festa Sanctorum Dominici, Francisci & Edmundi Confessoris in Ecclesijs cum IX. lectionibus celebrari volumus. Nolumus tamen per hæc opera fidelium impediri.*

In hac autem, VValteri Cantilupensis constitutione triplicis generis festa percensentur, quæ curiosis lectoribus relinqui non debent intacta. Alia sunt quæ omnes omnino obseruare: alia quæ ab agricolis non celebrari; alia demum quæ à mulieribus solùm minimè agitari conuenit. Rarum profectò & infrequens

infrequens decretum. Etsi verò decem & octo tantùm post Oxoniense Concilium annis habita fuerit VVigorniensis Synodus, ab illo tamen in multis discrepat. Nonnulla enim festa ijs superstruit quæ à Concilio Oxoniensi numerata sunt, & nonnulla resecat quæ idem Concilium laudauerat. Nam festos dies Depositionis S. VVolstani, Depositionis S. Osvvaldi, sancti Marci & S. Lucæ Euangelistarum nominati, feriam autem IV. in hebdomada Paschæ, feriam IV. in hebdomada Pentecostes, diem Parasceues, Decollationem S. Ioannis Baptistæ, festa etiam sancti Gregorij, S. Augustini Anglorum Apostoli, & S. Margaretæ, quod *feriandum* jubet *ab operibus mulierum tantùm*) rescindit, ac de Beatæ Mariæ Virginis Conceptione, ne verbum quidem. Oxoniense Concilium omnium Apostolorum festa vno & eodem modo agenda præcipit: VVigorniensis autem Synodus S. Barnabæ Apostoli (qui tamen vnus non est è duodecim) festum vult *feriandum in omnibus præterquàm in carrucis*, sicut & festa S. Vincentij Martyris, S. Ioannis ante Portam Latinam, S. Leonardi Abbatis, S. Clementis Papæ & Martyris, Translationis S. Osvvaldi Episcopi, nec-non S. Catharinæ Virginis & Martyris feriam, quam in festorum dierum albis imperatam nondum vidimus; licèt heic non omnibus prorsùs præcipiatur agitanda, sed illis dumtaxat qui agriculturæ operam nonnavant. Quòd autem VVigorniensis Synodus in sanctarum Virginum & Martyrum


Agnetis,

Agnetis, Luciæ Margaretæ & Agathæ solemnijs Britannicas suæ Diœceseos saltem mulieres ab operibus manualibus decernit supersedere, alio id non præstat consilio quàm vt *deuotum femineum sexum* (vt post S. Augustinum in Ecclesiasticis precibus appellamus) ad prosequendas peculiari cultu quasdam è præcipuis Christianæ religionis (si fas ita loqui) Heroïnis, impellat atque inflammet.

Eadem VVigorniensis Synodus duplicia Salisburiensis Ecclesiæ festa sic enumerat: *Hæc sunt festa duplicia in Ecclesia Salisburiensi. Viz. dies Natalis Domini & quatuor sequentes, dies Circumcisionis Domini, dies Epiphaniæ, Purificatio S. Mariæ, Adnuntiatio Dominica, dies Paschæ cum tribus sequentibus diebus, Dominica in Albis, Inuentio S. Crucis, dies Adscensionis Domini, dies Pentecostes cum tribus sequentibus, festum S. Trinitatis, festum S. Ioanis Baptistæ, festum Apostolorum Petri & Pauli, Adsumptio S. Mariæ, Natiuitas Beatæ Mariæ Virginis, festum Reliquiarum, festum S. Michaëlis, festum omnium Sanctorum, festum S. Andreæ.* Per duplicia festa quid intelligatur, an quæ laborum habent requiem, an quę nobis peculiari nomine solemnia nuncupantur, an duplicia majora, an minora, haud ita planum est? Duplex festum nulli veterum scriptorum appellauere. Posteriorum temporum vox illa est. Qui circa VVigorniensis Synodi ætatem, anno MCCLXXX. sub Nicolao III. Romano Pontifice viuebat Guillelmus Durandus, Mimatensis Episcopus & Carnotensis Ecclesiæ Decanus, ita de festis duplicibus disserit in lib. VII. Ration. diuin.

offic. cap. I. num. XXXI. *Quædam festa dicuntur in totum duplicia, quædam simpliciter duplicia, quædam semiduplicia. Dicuntur quædam duplicia in quibusdam Ecclesijs, pro eo quòd responsoria tam majora quàm breuia, & versus à duobus cantantur, & quia omnia incipienda à duobus incipiuntur, & quia Antiphonæ in Matutinis & Vesperis duplicantur; dicuntur enim Completæ & ante psalmum & post; sicut est festum Natalis Domini, S. Stephani Protomartyris, S. Ioannis Euangelistæ. Circumcisio Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Adnuntiationis, Resurrectionis, Adscensionis, Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, S. Laurentij, Adsumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Natiuitatis ejusdem & Dedicatio Basilicæ. Præmissa quidem sunt majora duplicia festa. Minora autem duplicia festa sunt* II. & III. *feria infra Octauas Resurrectionis, item* II. & III. *feria infra Octauas Pentecostes, commemoratio S. Pauli* Apostoli, *Octaua Apostolorum Petri & Pauli &* Adsumptionis, *& quodlibet festum quod vnaquæque Ecclesia duplex ordinauerit celebrari.* Quod heic Durandus *festa in totum duplicia*, seu *majora duplicia festa*, itémque *festa simpliciter duplicia*, siue *minora duplicia festa*, nominat, nos hodie *duplex primæ & secundæ classis* ex vna parte, & *duplex per annum*, ex altera dicimus. In ea verò Breuiarij Romani editione quam curarunt summi Pontifices Clemens VIII. & Vrbanus VIII. majoris distributionis gratiâ, duplicium festorum genera quatuor ordinata sunt, I. quod *primæ classis*; II. quod *secundæ classis*; III. quod

quod *majus per annum*; IV. denique quod *minus per annum* nuncupatur. VVigorniensem Synodum *duplicia festa* eo accepisse sensu probabile est, quo Durandus *minora duplicia festa* interpretatus est, quandoquidem & in VVigorniensi Synodo & apud Durandum II. *&* III. *feria infra Octauas Resurrectionis*, II. *&* III. *feria infra Octauas Pentecostes*, quæ nemini vmquam duplices majores dictæ sunt, duplicibus accensentur; quamquam & à Durando inter *majora duplicia festa* computentur aliqua, quæ VVigorniensi Synodo *duplicia* tantummodo vocitantur. Ceterùm in Ecclesia Salisburiensi anno Christi MCCXL. agitatum obserua sanctissimæ Trinitatis festum, quod nullus ante hunc annum feriatorum dierum καταλογισμὸς nobis exhibuerat. Sed de illo fusiùs infrà disputabimus commodiori loco.



## Capvt XXI.

### *Eodem sæculo* XIII. *quas ferias enarret Exoniensis Synodus?*


IN secundo Conciliorum orbis Britannici volumine Synodum Exoniẽsem reperire est, quam anno Domini MCCLXXXVII. Edvvardi I. Anglorum Regis XV. Petrus Quiuil Exoniensis Ecclesiæ Pontifex habuit; in qua Synodo festos dies ita definiuit in cap. XXIII. *Circa festa indicenda errare nouimus quàm plurimos*

*nos sacerdotes, dum vnus in sua Parochia festum aliquod indicit solemniter celebrandum, alius idem festum penitus prætermittit, sicque in vna Parochia homines cessare à laboribus, in alia communiter laborare sæpe contingit. Quod absurdum admodum reputantes inhibemus ne sacerdotes alia festa in Parochijs suis præcipiant solemniter celebrari, quàm ea quæ in sacris Canonibus sunt expressa, vel quæ cum Clero & populo solemniter duximus veneranda. Vt festorum celebrandorum inter omnes subditos nostros eadem obseruantia habeatur, festa solemniter celebranda cum Clero & populo præsenti Synodo duximus inserenda. In mense Ianuarij, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ Domini, Conuersionis S. Pauli. In mense Februarij, festum Purificationis Beatæ Mariæ, Cathedræ S. Petri, S. Matthiæ Apostoli. In mense Maij, festum S. Gregorij. Adnuntiationis S. Mariæ. In mense Aprilis, S. Georgij, S. Marci Euangelistæ. In mense Maij, SS. Philippi & Iacobi, Inuentionis S. Crucis, Ioannis ante Portam Latinam, S. Augustini Anglorum Apostoli. In mense Iunij, S. Barnabæ Apostoli, Natiuitas S. Ioannis Baptistæ. Apostolorum Petri & Pauli. In mense Iulij, Translationis S. Thomæ Martyris, S. Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi Apostoli maioris. In mense Augusti, ad vincula S. Petri, S. Laurentij, Adsumptionis Beatæ Mariæ, S. Bartholomæi Apostoli, Decollationis S. Ioannis Baptistæ. In mense Septembris, Natiuitatis Beatæ Mariæ, Exaltationis S. Crucis, S. Matthæi Apostoli, S. Michaëlis Archangeli. In mense Octobris, S. Lucæ Euangelistæ, Apostolorum Simonis & Iudæ. In mense Nouembris,*

*bris, omnium Sanctorum, S. Martini, S. Catherinæ, S. Andreæ Apostoli. In mense Decembris, S. Nicolai, Conceptionis Beatæ Mariæ, S. Thomæ Apostoli, Natiuitatis Domini per* VIII. *dies, Paschæ per* IV. *dies, Adscensionis Domini, Pentecostes per* IV. *dies, temporibus suis festum sancti loci & Dedicationis Ecclesiæ.* Ab Oxoniensi Concilio, cujus verba retulimus capite XVIII. in eo solùm de festorum dierum obseruatione dissidet Exoniensis Synodus, quòd commemoratas ab illo ferias S. Margaretæ, S. Edmundi Confessoris, S. Edmundi Regis & Martyris ac S. Clementis, pariterque diem Parasceues, silentio prætermittat; contra verò S. Marci, S. Lucæ & S. Catherinæ festa, à Concilio Oxoniensi non recensita, inter alios dies festos enarret; & quòd Conceptioni Beatæ Mariæ diem sacrum, festum atque solemnem exstare præcipiat, cùm tamen illius *celebrationis non imposuerit necessitatem* Oxoniense Concilium. Vnde conficio Conceptionis S. Mariæ celebritatem cœpisse, sin minùs in vniuersa Britannia, at in Exoniensi Diœcesi saltem, anno Domini MCCLXXXVII. frequentari; cœpisse etiam in eadem Diœcesi & eodem anno celebrari ab omnibus sanctæ Catherinæ festum, quod agricolis peragendum non mandauit VVigorniensis Synodus. Conficio præterea festos dies Depositionum S. VVolstani & S. Osvvaldi, de quibus præfata Synodus VVigorniensis, fuisse tantùm in Episcopatu VVigorniensi agitatos: quemadmodum & festa S. Margaretæ, S. Edmundi

Con-

Confessoris, S. Edmundi Regis & Martyris ac S. Clementis, quorum meminit Oxoniense Concilium, in Oxoniensi dumtaxat Diœcesi fuisse diuulgata, cùm neque horum neque illorum mentionem vllam fecerit Exoniensis Synodus. Aluredus Magnus in Legum Ecclesiasticarum titulo XVIII. singulari exemplo *duodecim dies à festo Natali Domini*, pro festis haberi iubet; *Natiuitatem Domini per octo dies* celebrem præcipit non minùs singulari exemplo Synodus Exoniensis, quæ & S. Georgij feriam, in nullis antea festorum recensionibus memoratam, prima videtur indixisse.



## CAPVT XXIII.

### *Quænam festa* XIV. *sæculo exeunte agnouerit Radulphus à Riuo, Tungrensis Decanus?*

RAdulphus à Riuo Bredâ Oriundus Brabantiæ oppido, insignis Collegij Canonicorum Beatæ Mariæ Tungrensis, apud Eburones, tertio lapide à Leodio, Decanus, quem ex Valerij Andreæ Desseli I.C. Bibliothecâ Belgicâ, anno Christi MCCCCIII. obijsse animaduerto, in libro cui titulus est, *de Canonum obseruantia*, in tom. VI. Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis, festos dies Romæ, vbi vixit (eodem Valerio Andreâ teste) obseruatos ita commemorat in

Propositione XVII. *æqualiter omnes* Sanctos *venerari non debemus, nec possumus, nec generaliter est consuetum. Ideo aliqui transeunt sub simplici commemoratione, alij sub tribus lectionibus, alij sub nouem. Qui autem ex eis nouem debent habere lectiones, ita sciri potest. Primò namque dies Sanctorum qui à Clero & populo celebrantur, siue auctoritate Romana, siue Diœcesana, nec non duplex festum habentes, cum nouem lectionibus debent obseruari. Et præterea hi dies Sanctorum quos Statuta Episcopalia cum tot lectionibus præcipiunt obseruandos, similiter cum nouem lectionibus teneantur. Notum est autem quod festa Domini & suæ matris, Inuentionis S. Crucis, duodecim Apostolorum, Natiuitatis Baptistæ, Laurentij, Michaëlis & Dedicationis Ecclesiæ, auctoritate Apostolica à Clero & populo celebrantur. Et similiter generali consuetudine Patronus Ecclesiæ, Conuersio S. Pauli, Cathedra & ad vincula Petri, festa Martini & Nicolai, Magdalenæ & Catharinæ.* His addit Colonienſium & Leodienſium feſta quæ nihil ad noſtrum propoſitum. Ex ejus autem vocibus, quænam feriæ *auctoritate Apostolicâ*, quænam *generali consuetudine* indicantur, perſpicuum omnino eſt. Idque eo diligentiùs adnotandum videtur, quòd is eſſet Radulphi à Riuo temporibus, Eccleſiæ Romanæ vſus, quæ omnium Chriſtiani orbis Eccleſiarum mater eſt & exemplum, ad quod ſe ſuáque, quantum poſſunt ſaluo jure antiquo, aliæ Eccleſiæ debent conformare. Vnde etiam colligitur alios quàm qui heic ab Radulpho de Riuo enumerantur, feſtos dies

in

in præcedentibus feriarum recognitionibus percensitos, Radulphi de Riuo ætate, neque *auctoritate Apostolica*, neque *generali consuetudine*, fuisse institutos. Neque verò dum subjungit (*ex Constitutione Bonifacij Papæ VIII. festa principalia duodecim Apostolorum, quatuor Euangelistarum & quatuor Doctorum, sub duplici festo in Ecclesia celebrantur. Generali etiam consuetudine, Barnabas Apostolus, Clemens Papa, Benedictus, Dionysius, Agatha, Agnes & Cæcilia, Diuisio Apostolorum, habent festiuitatem nouem lectionum*) ea omnia festa *à Clero & populo* celebranda esse significat, sed eorum accenseri καταλόγῳ quæ duplicia & nouem lectionum, nominamus. Atenim (vt de *festis principalibus* XII. *Apostolorum*, quæ meminerat antea, ac quatuor Euangelistarum, nihil dicam) vbinam gentium feriæ quatuor Doctorum. S. Benedicti, S. Cæciliæ, & Diuisionis Apostolorum *à Clero & populo* celebratæ sunt?





## Caput XXIII.

*Ineunte* xv. *sæculo vel circiter quanam festa constituat Richardus Arundel Cantuariensis Archiepiscopus. Quæ Millo d'Illiers Carnotensis Episcopus eodem sæculo exeunte?*

Apud Spelmanum in eo quem jam sæpius citauimus tomo II. Conciliorum orbis Britannici, Decretum quoddam de festis diebus legitur sub hoc titulo: *Hæc sunt festa ab omnibus operibus tenenda per Constitutionem Richardi Arundel Cantuariensis Archiepiscopi, datam anno circiter* MCCCC. In quo Decreto, quæ id temporis in Cantuariensi Prouincia agitabantur, Christianas ferias sic animaduertere est: *In mense Ianuarij, Circumcisio Domini, Epiphania Domini, item festum illius Sancti in cujus honore Ecclesia dicatur. Festum Dedicationis Ecclesiæ. Mense Februario, Purificatio Beatæ Mariæ, festum S. Matthiæ Apostoli. Mense Martij, Adnuntiatio Beatæ Mariæ, Pascha cum tribus diebus sequentibus. Mense Aprilis, S. Marci Euangelistæ. Mense Maij, Apostolorum Philippi & Iacobi, Inuentio S. Crucis, S. Augustini, primi Anglorum Apostoli, Adscensio Domini, dies Pentecostes cum tribus diebus sequentibus. Mense Iunij, S. VVinefridæ, Natiuitas S. Ioannis Baptistæ,*

Apostolo-

*Apostolorum Petri & Pauli. Mense Iulij, Translatio S. Thomæ martyris, S. Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi* Apostoli, *S. Annæ Matris Mariæ. Mense Augusti, S. Laurentij martyris*, Adsumptio *beatæ Mariæ, S. Bartholemæi* Apostoli. *Mense Septembris, Natiuitas beatæ Mariæ, Exaltatio S. Crucis, S. Matthæi* Apostoli, *S. Michaëlis Archangeli. Mense Octobris, S. Lucæ Euangelistæ, Apostolorum Simonis & Iudæ. Mense Nouembris, festum omnium Sanctorum, Commemoratio animarum, S. Catherinæ Virginis, S. Andreæ Apostoli. Mense Decembris, S. Nicolai, Conceptio beatæ Mariæ, S. Thomæ Apostoli, Natiuitas Domini, S. Stephani martyris, S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, SS. Innocentium, S. Thomæ martyris, S. Ceddæ Episcopi, S. Gregorii martyris.* Quinque heic festa nouè instituta deprehendimus, S. VVinefridæ, S. Ceddæ, S. Annæ *Commemorationis animarum*, & S. Gregorij martyris. Et quidem S. VVinefridæ, S. Ceddæ & S. Gregorij martyris festos dies proprios ac peculiares fuisse Cantuariensi Diœcesi, temporibus Richardi Arundel, ex eo constat quod neque in Concilio Oxoniensi, neque in Synodis VVigorniensi & Exoniensi nominentur. Vnde fit etiam vt S. Annæ & Commemorationis omnium fidelium defunctorum festa primùm imperata dici possint in Anglia circa annum Domini MCCCC. Sanctus autem Gregorius martyr, cujus festum vltimo loco commemoratur, ille est, quemadmodum suspicari licet, qui apud Spoletum Thusciæ vrbem, Diocletiano & Maximiano imperantibus sub Flacco iudice,

iudice, martyrij coronâ donatus fuit, cujus Vſuardus, Ado, Beda & alij ſuis in Martyrologijs ad diem IX. Kalendas Ianuarias meminere.

Exeunte XV. Eccleſiæ ſæculo, Millo d'Illiers ex Decano Carnotenſis Eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopus, anno MCCCCLXXXIX. die XX. Octobris, Carnoti Synodum habuit, cujus hoc Decretum eſt de feſtis diebus, in titulo *de feſtorum ſolemnizatione*, vt loquitur: *Notandum eſt quod omnes feſtiuitates iſta ſunt obſeruanda; & in Paſchali tempore ſancta dies veneris ante Paſcha vſque poſt Officium & poſt Officium vt conſuetum eſt. Item Paſcha cum tribus diebus ſequentibus. Et qualibet Eccleſia feſtum ſui Patroni. Nec-non & Dedicatio cuiuſlibet Eccleſia in ſuo loco. Adſcenſio Domini Pentecoſte cum ieiunio & Vigilia & cum tribus diebus ſequentibus. Quarta tamen feria permittitur agricultura feſtum ſanctiſſimi Sacramenti. Diebus Dominicis, ſpecialiter & in feſtis beatorum Apoſtolorum. Etſi aliqua prater iſta orta fuerit dubitatio, nolumus quod ſuper hoc ad nos recurratur. Et vlterius ſciendum eſt quod vbi permittitur agricultura, permittitur, vſus quadrigarum ſeu equorum. Et vbi dicitur:* vt conſuetum eſt: *non ſunt de pracepto. Ponantur iſta in Kalendario Miſſalis cuiuſlibet Eccleſia. Inhibemus autem omnibus ſacerdotibus ne alias operandi Parochianis ſuis concedant in dictis feſtis licentiam quo quomodo.*

## ET PRIMO IN IANVARIO.

*Circumcisio Domini, ab omni opere seruili seruabitur.*
*Epiphania Domini, ab omni opere seruili seruabitur.*
*Fabiani & Sebastiani, vt consuetum est.*
*Vincentij Martyris vt consuetum est.*
*Conuersio S. Pauli ab opere manuali.*

## IN FEBRVARIO.

*Purificatio beatæ Mariæ virginis ab omni opere seruili seruabitur.*
*Cathedra S. Petri, vt consuetum est.*
*Matthiæ Apostoli, ab omni opere seruili seruabitur, & est locus bissexti.*

## IN MARTIO.

*Leobini Episcopi Carnotensis, ab opere manuali.*
*Adnuntiatio Dominica, ab omni opere seruili seruabitur.*

## IN APRILI.

*Georgij Martyris, vt consuetum est.*
*Marci Euangelistæ, ab omni opere in die, cum jejunio, letania, & processione celebri.*

## IN MAIO.

*Philippi & Iacobi Apostolorum ab omni opere seruili seruabitur.*

*Inuentio*

*Inuentio S. Crucis, vt consuetum est.*
*Ioannis ante portam Latinam, ab opere manuali.*
*Carauni martyris, vt consuetum est.*

## IN IVNIO.

*Barnabæ Apostoli, ab omni opere seruili seruabitur.*
*Geruasij & Prothasij Martyrum, ab omni opere manuali seruabitur.*
*Natiuitas beati Ioannis Baptistæ, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili seruabitur.*
*Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili.*

## IN IVLIO.

*Translatio S. Martini Episcopi & confessoris, vt consuetum est.*
*Arnulphi Episcopi & Martyris, vt consuetum est.*
*Mariæ Magdalenes, ab omni opere seruili seruabitur.*
*Iacobi Apostoli cum jejunio in vigilia, Christophori & Cucupsalis, ab omni opere seruili.*
*Beatæ Annæ matris virginis Mariæ, ab omni opere manuali.*

## IN AVGVSTO.

*Petri ad vincula, ab omni opere manuali.*
*Inuentio beati Stephani proto-Martyris, ab omni opere manuali.*
*Laurentij Martyris, cum jejunio in vigilia ab omni opere seruili seruabitur.*

*Adsumptio*

*Assumptio beatæ Mariæ virginis, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili seruabitur.*

*Bartholomæi Apostoli cum jejunio in vigilia ab omni opere seruili seruabitur.*

*Decollatio S. Ioannis Baptistæ ab omni opere manuali seruabitur.*

## IN SEPTEMBRI.

*Ægidij & Lupi Episcoporum ab omni opere manuali seruabitur.*

*Natiuitas beatæ Mariæ virginis, ab omni opere seruili seruabitur.*

*Exaltatio S. Crucis, vt consuetum est.*

*Leobini Episcopi & Confessoris, vt consuetum est.*

*Matthæi Apostoli, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili seruabitur.*

*Michaëlis Archangeli, ab omni opere manuali seruabitur.*

## IN OCTOBRI.

*Dionysij, Rustici & Eleutherij Martyrum, ab omni opere manuali seruabitur.*

*Dedicatio Ecclesiæ Carnotensis, ab omni opere in villa tantum seruabitur.*

*Lucæ Euangelistæ, ab omni opere seruili seruabitur.*

*Simonis & Iudæ Apostolorum, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili seruabitur.*

## IN NOVEMBRI.

*Festiuitas omnium sanctorum, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili seruabitur.*
*Commemoratio defunctorum ante officium ab omni opere, post officium autem non.*
*Sancti Martini Episcopi & Confessoris, ab omni opere manuali.*
*Clementis Papæ & Martyris, vt consuetum est.*
*S. Catherinæ virginis, vt consuetum est.*
*Sancti Andreæ Apostoli, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili.*

## IN DECEMBRI.

*S. Nicolai Episcopi & confessoris, ab opere manuali seruabitur.*
*Conceptio beatæ Mariæ virginis, ab omni opere seruili seruabitur.*
*S. Thomæ Apostoli, ab omni opere seruili seruabitur.*
*Natiuitas Domini, cum jejunio in vigilia, ab omni opere seruili seruabitur.*
*S. Stephani protomartyris, ab omni opere seruili seruabitur.*
*S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ ab omni opere seruili seruabitur.*
*Festum sanctorum Innocentium ab omni opere manuali seruabitur.*

Quamquam satis enucleatè heic omnia proponuntur à Millone Carnotensium Episcopo, de festis suæ diœcesæos diebus, nonnulla tamen

men in illius decretum obſeruanda veniunt
I. Indici jejunium in die feſto S. Marci Euangeliſtæ, quod non ſolùm contra hodiernum Carnotenſis Eccleſiæ vſum eſt, ſed & contra omnium quas ſciam Eccleſiarum Chriſtiani orbis.
II. Vocari Epiſcopos S. Ægidium & S. Lupum, cùm tamen conſtet vnum S. Lupum fuiſſe Senonenſem Epiſcopum numero vigeſimum in Tabulis Democharis; ſanctum autem Ægidium Abbatem fuiſſe & Confeſſorem vt vocat Martyrologium Romanum, vel Confeſſorem tantummodo, quemadmodum in ipſius laudem proſa à S. Fulberto Carnotenſi conſcripta teſtatur, non verò Epiſcopum. Sed hoc fortaſſe non Millonis, ſed Typothetæ mendum eſt, ſicut etiam cùm legitur in illius decreto: *Dedicatio Eccleſiæ Carnotenſis, ab omni opere in villa tantùm ſeruabitur*, pro *in vrbe*. Neque enim alibi *villam* pro *vrbe* acceptam memini me legiſſe.
III. Imperari in priuilegio Pentecoſtes jejunium, quod jam neſcit Carnotenſis Eccleſia. Sed de hoc fuſiùs poſtea, vbi Ludouici Guillardi Synodalem de feſtis imminuendis conſtitutionem expendemus in capite ſequenti.
IV. Videri diſcrimen aliquod inter feſta quæ *ab omni opere ſeruili*, & *quæ ab omni opere manuali*, ſeruanda ſtatuit. Illa eſſe illuſtriora, hæc minus celebria.
V. Denique diem feſtum duplicem S. Leobini Carnotenſis Epiſcopi beneficijs debi-

tum tribui; vnum in mense Martio, alterum in mense Septembri; idque Carnotensis Ecclesiæ vsui congruenter, quæ die Martij xiv. S. Leobini natalem, die autem Septembris xv. eiusdem Translationem perpetuò celebrat. Contrà tamen tendunt, Beda venerabilis, Vsuardus, & VVaudalbertus in suis Martyrologiis, contra tendit quoque Romanum Martyrologium, vbi locorum vna tantum S. Leobini occurrit mentio, die Septembris xv. Quid ergo? Carnotensem Ecclesiam dicemus non rectè S. Leobini Pontificis sui festos dies adnotasse? an venerabilem Bedam, Vsuardum, VVaudalbertum & Romanum Martyrologium malè diem S. Leobini natalem ad xv. Septembris consignasse, quo Carnotensis Ecclesia ipsius translationis festum agitat? mouet me, fateor, tot illustrium virorum auctoritas. Magis tamen Ecclesiæ Carnotensi *famosæ nobilique & cuius specialiter filius sum* (vt de sua Lugdunensi loquitur S. Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses) adsentiendum autumo, S. Leobini natalem ad diem Martij xiv. reuocanti, eiusque reliquiarum translationem ad diem Septembris xv.

Cur autem adsentiendum putem, faciunt duo rationum momenta.

Alterum, quòd Ecclesiastica volumina omnia, ad diœcesis Carnotensis vsum typis excusa, Missalia, Breuiaria, Ritualia, Kalendaria, & si qua sunt eiusdem generis, præscriptum duplex S. Leobini festum repræsentent.

Alterum, quod Ecclesiastici omnes miss. codices

codices bibliothecæ capituli Ecclesiæ S.Mariæ Carnotensis, duplex eiusmodi festum designent.

Sic habet MS. Martyrologium per anni circulum, annorum ferè DC. *Prid.id.mart. In sepulcro Patris nostri Leobini scriptum est, pridie Idus primi mensis martij ipsum Sanctum Leobinum migrasse à sæculo.* Celebrandus igitur illius dies natalis pridie Idus martias, non XVII.Kalendas Octobres.

Sic aliud MS. Martyrologium per anni circulum, annorum circiter CCCC. I.I. *Idus martij. Eodem die Carnotis depositio* S. *Leobini Episcopi & Confessoris.* XVII. *Kalend. Octobr. Carnoto translatio* S. *Leobini Episcopi.*

Sic aliud MS. Martyrologium, annorum amplius C.II. *Idus martij. Eodem die Carnotis depositio* S. *Leobini Episcopi & Confessoris.* XVII. *Kal. Octobr. Carnoti translatio* S. *Leobini Episcopi.*

Aliud MS. Martyrologium cum legenda, annorum D. & amplius, S. Leobini vitam refert ad diem Martij XIV.

Codex MS. lectiones breuiarij & vitas sanctorum complectens, annorum plusquam CCCC. S.Leobini prid.Idus Martias & VXII.Kalendas Octobres meminit.

Missale MS. annorum fermè DL. hæc habet II. *Idus* (Martij) S. *Leobini Episcopi & Confessoris.* XVII. *Kalend.* (Octobres) S. *Leobini Episcopi & Confessoris.* S. *Leobini in translatione* S. *Leobini ad missam.*

Hæc κατάλογος MS. Episcoporum Carno-

tensium, circa an. MCCCLXXXX. exaratus: *Festiuitas eius* (Leobini) *bis in anno in nostra Carnotensi Ecclesia celebratur.*

Denique quatuor breuiaria MSS. Carnotensia, duplicem S. Leobino celebritatem adscribunt: vnam pridie Idus Martias, alteram XVI. Kalendas Octobres, non XVII. In his enim breuiarijs, non ita vetustis, propter octauam Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, quæ Octaua nouem Lectionum est & duplex. S. Leobini translatio, quæ etiam, nouem lectionum erat olim & duplex, in diem sequentem refunditur, scilicet in XVI. Kalendas Octobres. Vnde in eiusmodi breuiariis de translatione S. Leobini legitur: *transfertur in crastino.*


In Missali MS. eiusdem Bibliothecæ, quod annorum CCL. ætatem præ se fert, reperias: XVI. *Kalend.* (Octobr.) *Ordinatio* S. *Leobini.* & II. *Idus* (Martij) S. *Leobini.* At (inquies) cur ordinatio S. Leobini XVI. Kalend. Octobres? Eadem fortè de causa quâ in breuiariis MSS. Carnotensibus dicebamus modò reuocatam ad crastinum diem, XVI. nempe Kalend. Octobr. S. Leobini translationem, propter coincidentem nimirum Natiuitatis Deiparæ virginis octauam. Cur autem quod alij codices, siue MSS. siue typis euulgati, translationem, MS. illud missale ordinationem appellat? fortassis quia quo die ordinatus fuerat Episcopus Carnotensis S. Leobinus, eodem eius Reliquiæ de vno in alium locum translatæ sunt. Adeo vt simul & eius translationis & eius,

eius ordinationis solemnia peragantur, quemadmodum vno & eodem die, hoc est IV. nonas Iulias, Turonis & alibi passim in Galliis nostris S. Martini Turonensium Pontificis translationem, ordinationem; ipsiúsque Basilicæ Dedicationem celebrari tradit in lib. II. historiæ Francorum cap. XIV. S. Gregorius Turonicus, his verbis: *Sollemnitas ipsius Basilicæ triplici virtute pollet, id est Dedicatione templi, translatione corporis sancti, ordinatione eius Episcopatus. Hanc enim IV. nonas Iulias obseruabis.*

Porrò dum heic se se de S. Leobino dicendi offert occasio, fortasse πάρεργον nemini videbitur, si quo tempore vitam, cum morte commutauerit, perquiramus. In Breuiario Carnotensi legitur ipsum *In Domino eiusdem anno nongentesimo trigesimo obdormiuisse:* Qui error grauissimus est & vel ex ipsomet Carnotensi breuiario corrigendus. Ibi enim, sicut etiam in S. Leobini actis (quæ nempe maximo reipublicæ Christianæ bono publici juris fecerunt viri duo Clarissimi, mihíque maximè necessarij, Lucas Acherius & Ioannes Mabillonius, in I. sæculo actor. Sanctorum ordinis S. Benedicti) videre licet S. Leobinum tempore Childeberti Francorum regis floruisse. At Childebertus quem ante annum DLXXX. supremum diem obiisse & nostri & exterorum annales attestantur, anno DCCCCXXXX. regnare non potuit. Ergo pro ijs verbis: *In Domino ejusdem, anno nongentesimo trigesimo obdormiuit:* reponendum videtur: *In Domino*

 *eiusdem*

*eiusdem anno circiter quingentesimo quinquagesimo sexto obdormiuit.* Sanctus enim Leobinus anno DXLIX. Aurelianensi Concilio II. adfuit, & anno DLI. Parisiense Concilium II. Subscripsit. Sanctus autem Caletricus qui ei proximè successit, III. Concilio Parisiensi, anno DLVII. interfuit.



## CAPVT XXIV.

### *Quid de festis diebus* XVI. *saeculo pronuntient Stephanus de Poncher & Ludouicus à Borbonio, Senonenses Archiepiscopi, Synodi Coloniensis & Carnotensis, Eustachius Bellaius Parisiensis Episcopus & constitutiones Synodales diœcesis Remensis?*

DEcimo sexto Ecclesiæ sæculo multæ multis in locis feriatorum temporum recognitiones cum fuerint institutæ, aliquas tantum heic adduxisse satis erit, ex quibus diuersarum Ecclesiarum festa illuminatè dignoscantur.

Stephanus de Poncher primùm Parisiensis Episcopus, postea verò Senonensis Archiepiscopus, an. MDXXIV. Ordinationes Synodales edidit sub hoc titulo: *Ordinationes Synodales ciuitatis & diœcesis Senonensis à Reuerendissimo in-*

*in Christo Patre & Domino D. Stephano de Poncher Dei & sancta sedis Apostolica gratia Gallicarum & Germania Primate, Senonensi Archiepiscopo, nouiter congesta, edita & publicata, Senonis an. Domini* DXXIV. *supra millesimum, die martis ante festum Pentecostes in sua generali Synodo:* In quibus ordinationibus ita enumerantur Senonensis diœcesis feriæ: *Festa ab omni opere obseruanda qua sunt de pracepto & obseruantia Ecclesia. In Ianuario, Circumcisio Domini, Epiphania Domini, festum reliquiarum Ecclesia Senonensis, in ciuitate Senonensi dumtaxat, Fabiani & Sebastiani. In Februario, Purificatio beata Maria virginis. In Martio, Adnuntiatio Dominica. In mense aprili, Marci ab omni opere vsque post meridiem. In Majo, Philippi & Iacobi Apostolorum, Inuentio S. Crucis. In Iunio, Natiuitas S. Ioannis Baptista, Apostolorum Petri & Pauli. In Iulio, S. Maria Magdalenes, SS. Iacobi & Christophori. In Augusto, Inuentio S. Stephani, S. Laurentij, Adsumptio beata Maria virginis, Bartholomai Apostoli. In mensę Septembri, S. Lupi, Natiuitatis beata Maria virginis, Matthai Apostoli & Euangelista, Michaëlis Archangeli. In mense Octobri, Sauiniani & Potentiani, Apostolorum Simonis & Iuda. In mense Nouembri, solemnitas omnium sanctorum, commemoratio defunctorum ab omni opere vsque ad meridiem, beati Martini, S. Andrea Apostoli. In mense Decembri, S. Nicolai, Conceptio beata Maria, S. Thoma Apostoli, Natiuitas Domini, natalis S. Stephani, S. Ioannis Euangelista; festum in cuius honore fundata est Ecclesia. Festum Dedicationis Ecclesia Se-*

*nonensis, quæ semper celebratur in Dominica proxima post octauas Petri & Pauli, Senonis & in Ecclesiis nondum dedicatis. Omnes dies Dominicales, festum Dedicationis cuiuslibet alterius Ecclesiæ dedicatæ, respectiuè in sua Ecclesia. Festa mobilia. Dies veneris sancta vsque post matutinale seruitium completum. Resurrectio Domini cum duobus diebus sequentibus, festum Sacramenti Eucharistiæ.* In ea Synodo cùm de festis diebus imminuendis actum fuerit, dissolutæque sint celebritates aliquæ, quemadmodum postea in cap. xxxvii. ostendemus, mirum profectò mihi videtur, quî tot relinquantur festa in diœcesi & vrbe Senonensi agitanda, festum reliquiarum Ecclesiæ Senonensis, inuentio S. Stephani, S. Lupi, Sauiniani & Potentiani, ac Dedicationis Ecclesiæ Senonensis, etiam *in Ecclesijs & nondum dedicatis.* Heic autem præter abrogata festa, non habentur sanctorum Matthiæ & Barnabæ Apostolorum solemnia. Vbi verò festum *Dedicationis Ecclesiæ Senonensis & in Ecclesiis nondum dedicatis* edicitur, nouo, inaudito, & totius Ecclesiæ consuetudini contrario statuto edicitur: neque enim alibi quàm in dedicatis Ecclesiis Dedicationis Ecclesiarum festa solent agitari. Illud Stephani de Poncher constitutum adoptauit Ludouicus Episcopus Prænestinus Cardinalis à Borbonio Senonensis Archiepiscopus in ordinationibus suis Synodalibus editis in publicatis anno Domini MCLIV.

Franciscus Iouerius in sanctionibus Ecclesiasticis tam Synodicis quàm Pontificiis Colo-

nienſem

niensem Synodum diœcesanam refert, an. MDXLIX. II. Octobris die sub Adolpho Coloniensi Archiepiscopo celebratam, in qua festi Coloniensis diœcesis dies ita memorantur: *Operæ pretium vnum quiddam inter alia multa quæ tunc expediri non potuerunt, ob diuersitatem celebrationis festorum quæ in hac vulgata diœcesi hactenus non parum offensionis peperit, tollendam, in hac præsenti Synodo statuendum esse decreuit. quæ festa sub totum anni circulum singulis quibusque mensibus tam à clero, quàm à populo ad Dei omnipotentis laudem posthac solemniter sint celebranda. Igitur vestigiis suorum prædecessorum & præsertim quondam bonæ memoriæ Domini Henrici Archiepiscopi Coloniensis inserendo, habitâ etiam diligenti consideratione, quid super his in generalibus Conciliis & iure communi constitutum olim sit, & quid vniuersali ritu in Ecclesia Catholica à piis omnibus vbiuis obseruetur, auctoritate sua Archiepiscopali vult, mandat & ordinat, vt posthac per ciuitatem & diœcesim Coloniensem festa infra memorata solemniter obseruentur & celebrentur. In mense Ianuario, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, beatæ Agnetis virginis & Martyris; Conuersionis S. Pauli. In Februario, Purificationis beatæ Mariæ virginis, cathedræ S. Petri Apostoli, S. Matthiæ Apostoli. In Martio, Adnuntiationis beatæ Mariæ virginis. In Aprili, S. Georgij Martyris. In Majo SS. Philippi & Iacobi Apostolorum, Inuentionis S. Crucis. In Iunio, Natalis S. Ioannis Baptistæ SS. Petri & Pauli Apostolorum. In Iulio, visitationis beatæ Mariæ virginis, beatæ Magdalenæ, Translationis trium regum in ciuitate Colo-*

*niensi tantùm, S. Iacobi Apostoli, S. Pantaleonis in ciuitate Coloniensi. In Augusto, S. Petri ad vincula, S. Laurentij Martyris, Adsumptionis beatæ Mariæ virginis, S. Bartholomæi Apostoli, Decollationis S. Ioannis Baptistæ. In Septembri, Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, Exaltationis S. Crucis, S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ, Dedicationis majoris Ecclesiæ Coloniensis in die SS. Cosmæ & Damiani in ciuitate Coloniensi celebrandæ, sancti Michaëlis Archangeli. In Octobri, S. Gereonis, SS. XI. millium virginum, S. Seuerini in ciuitate Coloniensi, SS. Simeonis & Iudæ Apostolorum. In Nouembri, omnium sanctorum, Commemorationis animarum ante meridiem, S. Martini Episcopi, S. Cuniberti in ciuitate Coloniensi, Præsentationis beatæ Mariæ virginis, beatæ Cæciliæ virginis in ciuitate Coloniensi, beatæ Catharinæ virginis, S. Andreæ Apostoli. In Decembri, S. Nicolai Episcopi, Conceptionis beatæ Mariæ virginis, S. Thomæ Apostoli, Natiuitatis Domini & Saluatoris Iesu Christi, S. Stephani proto-martyris, S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, SS. Innocentium. Nunc sequuntur mobilia. Festum Paschæ cum II. diebus sequentibus, festum Adscensionis Domini, festum Pentecostes cum II. diebus sequentibus, festum Corporis Christi, festum sanctissimæ Trinitatis Dominica post octauas Pentecostes. Denique vult vt in singulis Ecclesiis festum Patroni (vt par est) celebretur. Dato igitur super hac re vobis speciali mandato eiusmodi dies per ciuitatem & diœcesim Coloniensem (vt memoratum est) solemniter & concorditer celebrandos esse, vobis significamus.*

Vbi plura vni ciuitati & diœcesi propria enumerarentur

merarentur festa, nullam hactenus adduximus festorum dierum recensionem. Sanè & Henricum Coloniensem Archiepiscopum, & sub quo Coloniensis illa Synodus habita est, itidem Coloniensem Archiepiscopum Adolphum, feriarum amantissimos fuisse ex eiusmodi constitutione patet.

In Constitutionibus Synodalibus diœcesis Carnotensis, ab Ludouico Guillardo Episcopo Carnotensi, anno MDL. in Synodo diœcesana promulgatis, eodémque anno Carnoti editis, festorum diœcesis nostræ dierum καταλογισμὸς habetur iste in pagg. LXIV. & LXV. *Alia sunt festa ab omni opere seruili sedulò ab omnibus obseruanda, & illorum quædam sunt & vocantur mobilia, scilicet: dies veneris S. ante Pascha vsque ad meridiem: Paschæ cum duobus diebus sequentibus, Adscensionis, Pentecostes cum II. diebus sequentibus & j. junio in vigilia eiusdem Pentecostes: Venerabilis Sacramenti: omnes dies Dominicales. Die cinerum ante seruitium non est operandum. Quædam sunt festa fixa & non mutabilia ab omni opere similiter obseruanda. Circumcisionis Domini, I. Ianuarij: Epiphaniæ, VI. Jan. Purificationis beatæ Mariæ, II. Febr. Matthiæ Apostoli, XXIV. Febr. Adnuntiationis beatæ Mariæ, XXV. Mart. Marci Euangelistæ cum abstinentia à carnibus, letania & processione, XXV. apr. Philippi & Iacobi Apostolorum, I. Maij. Barnabæ Apostoli, VI. jun. Natiuitatis beati Ioannis Baptistæ cum jejunio in vigilia, XXIV. jun. Petri & Pauli cum jejunio in vigilia, XXIX. juny. Mariæ Magdalenæ, XXII. jul. Iacobi Apostoli cum jejunio in*

*in vigilia*, XXV. *Iul. Annæ matris sacrosanctæ Mariæ virginis*, XXVI. *Iul. Laurentij*, *cum jejunio in vigilia*, X. *Aug. Adsumptionis beatæ Mariæ cum jejunio in vigilia*, XV. *Aug. Bartholomæi Apostoli cum jejunio in vigilia*, XXIV. *Aug. Natiuitatis beatæ Mariæ*, VIII. *Sept. Matthæi Apostoli cum jejunio in vigilia*, XXI. *Sept. Michaëlis Archangeli*, XXIX. *Sept. Dedicationis Ecclesiæ Carnotensis in vrbe tantùm*, XVII. *Octobr. Lucæ Euangelistæ*, XVIII. *Octob. Simonis & Iudæ cum jejunio in vigilia*, XXVIII. *Octob. omnium sanctorum, cum jejunio in vigilia*, I. *Nouemb. Commemorationis defunctorum, vsque ad meridiem*, II. *Nouemb. Martini Episcopi & Confessoris*, XI. *Nou. Catherinæ virginis & Martyris*, XXV. *Nouemb. Andreæ Apostoli, cum ieiunio in vigilia*, XXX. *Nou. Nicolai*, VI. *Decepoionis beatæ Mariæ*, VIII. *Decemb. Thomæ Apostoli*, XXI. *Decemb. Natiuitatis Domini cum ieiunio in vigilia*, XXV. *Decem. Stephani*, XXVI. *Decemb. Ioannis Apostoli*, XXVII. *Decemb. Et quilibet in sua Parochia diem festum Patroni & Dedicationis Ecclesiæ eiusdem, ab omni opere obseruabit.* Vnum heic vrbi Carnotensi peculiare indicitur festum Dedicationis Ecclesiæ Carnotensis: idque secundùm vetera ferè omnia de festis diebus constituta, maximè post felicis Papæ III. ætatem lata, qui apud Gratianum in III. part. Decr. de Consecr. dist. I. capp. *Solemnitates*, Dedicationis Ecclesiæ festum instituit. Cùm autem in hisce diœcesis Carnotensis constitutionibus imperetur jejunium in vigilia Pentecostes, cur nostrâ ætate in Carnotensi diœcesi non obseruetur, summopere

miror

miror. Obseruandum quidem scribit Micrologus in lib. de obseruat. Eccles. cap. LV. his verbis: *Tempore* Paschali *nullius festi vigiliam ieiunare vel obseruare iubemur, nisi Adscensionis & Pentecostes.* Et ante Ludouicum Gu-llardum Millo D'Illiers Carnotensis quoque Episcopus peruigilij Pentecostes Ieiunium edixerat in Synodo habitâ die XXI. Octobris anno MCCCCLXXXIX. Quemadmodum videre licet in eius *statutis constitutionibus, & ordinationibus Synodaticis,* titulo *de festorum solemnizatione* vbi legitur, *Pentecoste cum ieiunio in vigilia & cum tribus diebus sequentibus.*

Festi dies qui culti fuerint in diœcesi Parisiensi anno MDLVII. Constat ex Parisiensis Synodi Canonibus ab Illustrissimo Eustachio Bellajo Parisiensi Episcopo editis hoc ipso anno, in quibus legitur: *Sequuntur dies festi per vniuersam diœcesim Parisiensem celebrandi & obseruandi, tam opere manuali, quam seruili. Festum Circumcisionis, beatæ Genouefæ, Epiphaniæ, Purificationis, beati Matthiæ, Adnuntiationis, S. Marci, SS. Philippi & Iacobi, Adscensionis, S. Sacramenti, beati Barnabæ, S. Ioannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, beatæ Mariæ Magdalenes, beati Iacobi & Christophori, beatæ Annæ, S. Laurentij, Adsumptionis, beati Bartholomæi, Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, Exaltationis S. Crucis, beati Matthæi, beati Michaëlis Archangeli, beati Dionysij, beati Lucæ, beati Simonis & Iudæ, omnium sanctorum, commemorationis fidelium defunctorum, beati Marcelli, sancti Martini, beatæ Catharinæ; beati Nicolai, Conceptionis, beati Thomæ Apostoli,*

*Apostoli, Natiuitatis Domini, beati Stephani, beati Ioannis Apostoli & Euangelistæ, SS. Innocentium, Patroni Ecclesiæ, festum Pascha, Pentecostes, omnes dies Dominici, dies lunæ & martis post Pascha, & Pentecosten ab omni opere manuali & seruili, dies veneris sancta vsque post matutinale officium. Cætera festa deuotioni fidelium relinquimus.* Ecclesiæ Parisiensis veluti proprium indicitur S. Marcelli festum. Cur autem in ea festorum dierum recognitione S. Andreæ Apostoli celebritas non compareat, quæ tamen in Parisiensibus illorum temporum manuali & Breuiario reperitur: diuinare non possum. Synodales Remensis Ecclesiæ constitutiones, quarum ætas non adnotatur, festos suæ prouinciæ dies ita persequuntur apud Bocherium in lib. IV. Decret. Eccles. Gall. tit. VII. cap. XII. *Festa Dei & sanctorum quæ per anni circulum occurrunt in nostra Remensi diœcesi præcipimus obseruari, modo qui sequitur & in hac forma. Primò festum Circumcisionis Domini, Epiphaniæ Domini, Remigy & Hilarij, Purificatio beatæ Mariæ virginis, Inuentio S. Crucis, Beati Barnabæ Apostoli, Natiuitas beati Ioannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli Apostolorum, beatæ Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi Apostoli, S. Annæ, beati Laurentij Martyris, Adsumptionis beatæ Mariæ, beati Bartholomæi Apostoli, beati Ludouici, Natiuitatis beatæ Mariæ, Exaltationis S. Crucis, beati Matthæi Apostoli & Euangelistæ, beati Michaëlis Archangeli, S. Dionysij, Matthiæ Apostoli, Adnuntiatio Dominica, beati Marci vsque post amissam, beatorum Philippi & Iacobi, beati Lucæ Euangelistæ,*

*listæ, beatorum* Simonis *& Iudæ, omnium sanctorum, Commemoratio omnium fidelium, beati Martini, beati Andreæ Apostoli, beati Nicolai, Conceptionis beatæ Mariæ virginis, beati Thomæ Apostoli, Natiuitatis Domini*, S. *Stephani*, S. *Ioannis Apostoli & Euangelistæ & SS. Innocentium*, S. *Brictij*, S. *Clementis, ab omnibus operibus ruralibus tam hominum quàm equorum reuerenter obseruentur & præcipiantur obseruari. In festis verò conuersionis* S. *Pauli, Cathedræ* S. *Petri, beati Petri, ad vincula, Decollationis beati Ioannis Baptistæ, Translationis* S. *Remigij*, S. *Nicolai*, S. *Thomæ Cantuariensis &* S. *Syluestri, opera non fiant manualia, sed his diebus vadat populus ad Ecclesiam, matutinas, missas & vesperas ob Dei reuerentiam & sanctorum reuerenter auditurus.* Adduntur heic neoterica aliquot festa, videlicet S. Ludouici, & S. Brictij, quæ in nulla festorum recognitione legimus hactenus. Festum *beati Marci vsque post missam* imperatur. Dum ajunt (*In festis verò Conuersionis* S. *Pauli, cathedræ* S. *Petri, beati Petri ad vincula, Decollationis beati Ioannis Baptistæ, translationis* S. *Remigij*, S. *Nicasij*, S. *Thomæ Cantuariensis &* S. *Syluestri, opera non fiant manualia, sed his diebus vadat populus ad Ecclesiam, matutinas, missas & vesperas ob Dei reuerentiam & sanctorum reuerenter auditurus*) Tantam non esse posteriorum eiusmodi festorum, quantam priorum celebritatem ostendit, cùm, si æqualis esset in vtrisque, esset etiam æqualiter commendata.

CAPVT.



## Capvt XXV.

*Quæ alia festa in plerisque Romanis ac Gallicanis Ecclesiis* XVI. *&* XVII. *sæculo, ante nuperam festorum aliquot imminutionem, acta fuerint?*

PRæter eorum plerosque qui in superioribus feriarum καταλόγοις habentur alij quoque festi dies variis in Ecclesiarum Romanæ & Gallicanæ prouinciis supremo sæculo acti sunt & hodie quoque agitantur, quos in heortologia siue opere *de festis propriis locorum & Ecclesiarum*, lib. II. cap. XVIII. quæst. V. Carolus Guietus S. I. Turonensis, è diuersis Ritualibus libris Kalendariisque definiuit. Ibi enim postquam *Quæ sint festa generalia ex consuetudine seruanda* inquisiuit, & ad propositæ quæstionis intellligentiam scripsit: *Generalia appello, non quod vbique omnia eiusmodi obseruari asseram, sed alia & alia in aliis & aliis, iisque variis ac pluribus locis, nonnulla fortè etiam in omnibus. Idcirco autem dicuntur ex consuetudine, quia cum in jure nullibi habeantur, superest vt præceptum de iis, quodcumque illud sit, ex consuetudine vim legis habente prouenerit*: hæc ait: *En tibi illa omnia quotquot colligere licuit ex propriis variarum diœcesium Kalendariis, iuxta ordinem mensium,*

*mensium, nuncupatis etiam locis aliquot, in quibus singula seruantur.*

MENSE IANVARIO. XIII. Hilarij & Remigij Episcoporum. *Habetur in Ritualibus, Lingonensi an.* MDLVI. *Tercensi* MCXXX. *& paucis aliis, ex Synodalibus, vt credere est, Ecclesiæ Remensis. Sed vix hodie vllibi seruatur quàm Remis, idque S. Remigij Patroni gratia.* XVII. Antonij Abbatis. *Romæ, ideóque in Kalendario rubro charactere describitur; quamquam Bonacina ait esse tantùm ex deuotione, disput. in* III. *præceptum quæst. vnica p.* I. *Lugduni item, Viennæ, Niuerni, &c.* XX. Fabiani & Sebastiani Martyrum. *Romæ ex voto vrbis, ait Bonacina cit. vel saltem consuetudine, Lugduni, Turonis, Senonis, Aureliis, Meldis & alibi satis frequenter, ad auertendam pestilentiam.* XXII. Vincentij Martyris. *Lugduni, Rothomagi, Andegaui, Abrincis, &c.* XXV. Conuersio S. Pauli Apostoli. *Biturigibus, Turonis, Andegaui & passim alibi.*

MENSE FEBRVARIO. III. Blasij Episcopi, & Martyris. Vbi consueuit, *aiunt statuta Synodalia Claromontensia, anni* MDLII. *sed jam nullibi consueuit.* XXII. Cathedra S. Petri Antiochiæ. *Rhedonis Pictauis, Bellonaci & paucis aliis locis, quorum Ecclesia cathedralis est S. Petri.*

MENSE MARTIO. VII. Thomæ Aquinatis. *Vna est diœcesis Sogiensis in qua deprehendi festum hoc esse de præcepto. Rationem taceo quam vulgus adfert. Miror quidni potiùs Tolosæ, jussit Pius V. sub præcepto seruari in toto regno Neapolitano, constitutione data Idibus Aprilis* MDLXVII.

MDLXVII. XII. Gregorij Papæ & Confessoris & Ecclesiæ Doctoris. *Festa* IV. *Doctorum Corisapiti in Armorica seruabantur ex statutis synodalibus, nec non alibi ante receptam constitutionem Vrbani VIII. Quin & Ioannes Andreas, Butrius & Panormitanus existimant esse de iure communi. Sed caput* gloriosus, *de reliq. & vener. sanctorum, quo nituntur, agit tantùm de officio, vt fiat duplex.* XIX. Iosephi Confessoris *Præcepit populo Gregorius* XV. *cum decreto sacræ rituum Congregationis* VIII. *Maij* MDCXXI. *Sed vix adhuc seruatur, nisi vbi recepta est Constitutio Vrbani VIII.*

MENSE APRILI. IV. Ambrosij Episcopi & confessoris & Ecclesiæ Doctoris. ( *Fit enim hac die in plerisque Galliæ Ecclesiis.* ) *Perinde ac S. Gregorij suprà.* XXIII. S. Georgij Martyris. *Paucis in locis.* XXV. Marci Euangelistæ. *Vbique ferè, alicubi vsque post missam.*

MENSE MAIO. VI. Ioannis ante portam Latinam. *Abrincus, Lingonis. Habent & Constitutiones Burdegalenses in Copriniaco.* VIII. Adparitio S. Michaëlis. *Nullibi Galliarum seruatur. Seruatur verò alicubi mense Octobri eiusdem adparitio in monte Tumba.*

MENSE IVNIO. XI. Barnabæ Apostoli. *Vbique ferè.*

MENSE IVLIO. II. Visitatio beatæ Mariæ. *Andegaui, Cenomani, Nannetis, Redonis, Maclouij, Sagij &c.* XXII. Mariæ Magdalenæ. *Vbique ferè in Gallia.* XXV. Annæ. *Lugduni, Turonis, Rotomagi, Carnuti, Meldis, Nannetis, Sagij &c. Parisiis quoque, sed die* XXVIII. *Præcepit vbique*

Gregorius

*Gregorius* XV. *Constitutione edita* XXIII. *Aprilis* MDCXXII. *Quam firmauit Vrbanus VIII. Postremâ suâ constitutione.*

MENSE AVGVSTO: I. Petri ad vincula. *Redonis, Nannetis, Pictauis, Trecis, Bellonaci, & vbique ferè alibi, vbi Ecclesia Cathedralis est S. Petri* III. Inuentio S. Stephani. *Vix alibi, quàm vbi ipse sanctus, titulus est Ecclesiæ cathedralis, vt Senonis, Meldis &c.* V. Festum sanctæ Mariæ ad niues. *Vix alibi quàm Romæ.* VI. Transfiguratio Domini. *Rothomagi, Andegaui, Cenomani, Nannetis, Maclouij &c. Aquis vero sextiis, maximè ob Ecclesiam metropolitanam saluatoris nomine nuncupatam.* XVI. Rochi confessoris. *Parisiis, Turonis, Romæ etiam & alibi satis frequenter. Sed magis deuotione populi, ad auertendam pestilentiam, quàm præcepto vllo Ecclesiastico, siquidem nec de eo fit officium in laudatis vsibus.* XXVI. Ludouici regis Franciæ, confessoris. *Iam vbique ferè Galliarum seruatur à dato diplomate Gregorij* XV. XXV. Augustini Episcopi & confessoris & Ecclesiæ Doctoris. *Perinde atque de S. Gregorio suprà. Seruatur Sagij, Maclouij &c.* XXIX. Decollatio S. Ioannis Baptistæ. *Lugduni Rothomagi, Ambiani, Constantiæ, Nannetis &c.*

MENSE SEPTEMBRI. I. SS. Ægidij & Lupi. *Siue conjunctim, siue seorsim, Senonis, Constantiæ, Corisopiti aliàs; sed vix iam vllibi, nisi forte in prouincia Narbonensi.* XIV. Exaltatio S. Crucis. *Parisiis Rothomagi, Maclouij, Redonis, & ferè vbicumque non colitur inuentio eiusdem. Quamquam alicubi neutra feriatur, vti Carnuti, Meldis:*

*Meldis: alicubi verò vtraque, vti Remis, Aureliis &c.* xxx. Hieronymi Confessoris & Ecclesiæ Doctoris. *Perinde atque de aliis Doctoribus suprà.*

Mense Octobri. i. Remigij Episcopi & Confessoris. *Habetur lib.* i i. *Capitularium Karoli magni, cap.* xxxv. *& in Concilio Moguntino* i. *can.* xxxvi. *Nullibi jam seruari puto, ne Remis quidem, vbi sit die* xiii. *Ianuarij.* iv. Francisci Confessoris. *Esse de pracepto vbique locorum ex decreto Sixti* iv. *asserit Gauantus ad hunc diem ex Syluestro, idemque pracepisse sacram Rituum Congregationem die* iii. *Ianuarij* mdcxxi. *Annuente sanctissimo. Sed vsus eiusmodi nullibi, quod sciam, in hisce partibus receptus fuit.* ix. Dionysij & Sociorum Martyrum. *Senonis, Meldis, Rothomagi, Syluanetj, Carnuti, Remis &c. omitto dicere Parisiis vbi est Patronus. Praceptum fuit à Leone* ix. *in Episcopatu Bambergensi ex Sculthingio, tomo* i. *parte* i. *cap.* xxix. xviii. S. Lucæ Euangelistæ. *Vbique ferè.*

Mense Novembri. ii. Commemoratio omnium fidelium Defunctorum. *Vbique ferè seruatur vsque ad meridiem, Turonis reliquo etiam die, itavt habeat secundas vesperas, quod parum probatur.* xxi. Præsentatio beatæ Mariæ. *Nannetis, Maclouij.* xxiii. Clementis Papæ & Martyris. *Signatur in Concilio Oxoniensi an.* mccxxv. *allegatur quoque in Synodalibus Remensis Ecclesia.* xxv. Catharinæ virginis & martyris. *Turonis, Rothomagi, Parisiis, Aurelia & alibi passim.*

Mense Decembri. i. Eligij Episcopi

&

& Confessoris. *Abrincis , necnon alibi olim., nunc verò cessauit vbique nisi Nouiomi, vbi est Patronus.* VI. Nicolai Episcopi & Confessoris. *Rothomagi , Turonis , Biturigibus , Remis , Senonis , & vbique ferè in Gallia.* VIII. Conceptio beatæ Mariæ. *Volunt nonnulli esse vbique de præcepto , ex decreto Sixti* IV. *extra.* Cum præexcelsa , *de reliq. & venerat. Sanct. verùm laudat tantùm Pontifex & consulit, latis in eos pœnis qui dixerint non esse licitum festum illud celebrare. Consuetudo autem vbique induxit.* XIII. Luciæ virginis & martyris. *Habetur in aliquibus Italiæ Ritualibus , sed vix vllibi in Gallia colitur.*

FESTA MOBILIA. Feria IV. Cinerum. *Maclouij vsque ad meridiem.* Feria V. in cœna Domini. *Maclouij itidem vsque ad meridiem.* Feria IV. post Pascha & Pentecosten. *Olim Turonis , Andegaui, Cenomani &c. nunc etiam Nannetis in ciuitate & suburbijs* Octaua corporis Christi. *Parisiis , ex consuetudine magis quàm præcepto.*

Hæc Guietus multâ cum accuratione collegit, quæ nos maluimus exscribere , quàm varia variarum Italiæ & Galliæ Ecclesiarum Kalendaria excutere , recentioráque de festis diebus statuta percensere.

CAPVT



## Capvt XXVI.

### *Quæ festa hodierni Græci, Syri, Æthiopes, Moscouitæ, Indi Occidentales & Meridionales, hæretici Anglicani, Scoti, Dani, Suedi, Germani & Heluetij colant?*

His ita constitutis, iam de nationum quarumdam siue Christi fidem profitentium, etsi Romano Pontifici (si tamen occidentales & meridionales Indos excipias) non omnino parentium, siue à verâ Christi fide toto cœlo aberrantium, atque ideo Romani Pontificis imperio nequaquam obsecundantium, feriatis temporibus, pauca non erit alienum in præsentia subjungere.

De præcipuis hodiernorum Græcorum festis diebus ita loquitur doctissimus Leo Allatius & ipse Græcus in dissertatione I. de libris Ecclesiasticis Græcorum, pag. XIII. *Principes dies festi eiusmodi apud eos* (Græcos) *modò plures, modò pauciores pro temporum ratione fuere. Nunc demum duodenario numero clauduntur & sunt: Adnuntiatio Virginis, Christi Natiuitas, Hypapante, Baptismus Christi, Transfiguratio, Resurrectio Lazari, festum Palmarum, Lignum Crucis, Resurrectio, Adscensio, Spiritus sancti aduentus, & Deiparæ Adsumptio; licèt hæc postrema non semper*

*per inter hos locum habuerit, modò tamen certum sibi vendicat, nec sine piaculo, negligeretur.*

De Syrorum festis diebus adferam quod habet eruditissimus Duretus in thesauro historiæ de linguarum orbis vniuersi originibus, cap. XL. §. 1. *de lingua Syriaca*, post medium, ex epistola quædam Ioannis Alberti, VVidmanstadij, I. C. & Hexarchiæ Orientalis Austriæ Concellarij, cuius hæc verba sunt: *Anni ritualis initium circiter Kalendas Nouembres ita statuunt Syri, vt natalem Christi, Dominici dies octo antecedant. Primo* Dominico die *templi Dedicationem celebrant; altero encania; tertio Adnuntiationem Zachariæ Patri de Ioannis Baptistæ filij ortu factam; quarto Adnuntiationem virgini Mariæ de filio Dei in hanc vitam per eam ingressuro factam; quinto virginis matris ad Elizabetham profectionem, quam celebritatem Vrbanus* VI. *Pontifex maximus (Apostolicâ sede ex eo schismate quod tandem Constantiensis Concilij auctoritate exstinctum fuit, grauissime laborante) in Ecclesiam introduxit, sexto Natiuitatem Ioannis Baptistæ; septimo oraculum Iosepho editum de grauida præter exspectationem coniuge non deserenda; octauum diem Dominicam antenatalitium appellant; quem diem* XXV. *Decembris Natalis Iesu Christi, postero virginis puerperæ, tertio inde die Innocentium puerorum celebritas, hanc Dominicus à natali proximus, posteáque, nisi in ipsum quoque incidat, circumcisionis Christi festus dies sequitur: sexta deinceps luce Epiphaniæ, quæ & luminum feriæ à Syris dicuntur, & luminarium frequentiore vsu*

 *celebrantur,*

*celebrantur, succedunt. Ea nocte aqua solemni precatione sacratur, quæ toto anno in sacrariis conseruari solet. capitis Ioannis Baptistæ amputationem altero die celebrant, ac inde ab Epiphaniis numerant aliquot Dominicos dies, quibus subjunguntur triduæ Rogationes, quas Niniuiticum jejunium appellant. Dehinc Christi templo oblati dies, ordinéque suo Dominici funebres duo, prior sacerdotibus, posterior cæteris vitâ defunctis Christianis dicati, quibus eorum sepulcra cerenomiis statis obire consueuerunt. Dein qui sequuntur dies Dominici sex, jejunij appellatione censentur, cuius dies* XL. *præcipuo Syrorum cultu propter integrum, æquè ac* XX. *propter dimidium quadrageni ieiunij tempus emensum notabilis, in veneris diem à Dominico* VI. *proximum incidit: quem Lazari à mortuis excitati Sabbatum, & mox Dominicus dies Hoschannæ (quem nos Palmarum nominamus) consequuntur. Hebdomada inde continua à passione & quiete Christi nomen apud eos accepit: in qua jouis dies propter sacra Synaxeos mysteria,* Secretorum *nuncupatur, quo & chrisma ob sacerdotium eo die institutum à Pontificibus consecratur, ablutionisque pedum ceremonia peragitur. Sabbatum eius hebdomadæ Adnuntiationis idcirco appellatur, quòd eo Christus Patribus apud inferos agentibus adnuntiauit, extremo suo supplicio salutem eis partam iam esse. Dominicæ Resurrectionis dies à Syris* magnus, *& octauus ab eo ac nouus, diésque labentis inter vtrumque septimanæ,* Candidatorum *vocantur, non aliâ profectò ratione quàm Latina Ecclesia Sabbatum, & hunc ipsum Dominicum diem* In albis *appellat. A Dominico hoc die* IX. IV. *ni*

*fallor veneris die, sunt auri feriæ, quibus Petri Apostoli Claudum ad speciosam portam sanantis memoria solemni quiete cultúque repetitur. Auri verò nomine ex Petri responso, quo sibi aurum argentúmque esse negauit, designatæ fuerunt. Adscensionis dies à Resurrectione quadragesimum, & Dominicus Pentecostes suum, hoc est quinquasimum implet. Religiosè etiam sanctam crucem venerantur, à cuius die nonnulli quoque Dominici dies nuncupati fuerunt.* Hactenus Ioannes Albertus, cuius ex verbis sanè elegantissimis duo illa non obscurè intelliguntur, & qui sint apud Syros recepti dies festi, & festorum dierum plerosque Dominicis diebus agitari solitos.

Quos dies feriatos colant Æthiopes exposuit Zaga Zabo, eorum legatus. *Vir & Episcopali dignitate venerabilis, & fide, doctrinâ, ac eloquentiâ Chaldaicæ & Arabicæ linguæ admirabilis*, in colloquio quod Vlyssipone habuit cum Damiano à Goës, equite Lusitano. Patet illud ex Epistola quam Goësius Paulo III. Scripsit Louanio Kal. Sept. an. MDXL. Paginis LVIII. LIX. & LX. Edit. Paris. an. MDLI. apud Christianum VVerselum. Ibi enim ait Zaga Zabo: *Diebus Dominicis omnes vnanimiter vt congregaremur in sacra æde hora tertia diei ab ortu solis ad legendum & audiendum Prophetarum libros, voluerunt Apostoli in sanctis Synodorum libris & canonum, quos* Manda *atque* Abethilis *vocamus: atque postea vt sanctum Euangelium prædicemus Sacrum quoque faciamus. Præterea nouem dies festos in Christi memoriam celebrandos constituerunt, scilicet Adnuntiationis, Natiuitatis, Circumcisio-*

*nis, Purificationis siue candelarum, Baptismi, Transfigurationis, Dominicæ Palmarum vsque ad octauam veneris diei sancti, vt vocamus, qui dies duodecim sunt, Adscensionis quoque atque Pentecostes cum suis etiam feriis. Item voluerunt vt diem mortis & Adsumptionis Mariæ virginis cum omni honore colebraremus. Præterea præter Apostolorum præcepta, quidam Pretiosus Ioannes, nomine* Semen Iacob *constituit in honorem eiusdem beatæ virginis, singulis annis triginta supra tres dies etiam celebrandos. Deinde propter Christi Saluatoris Natiuitatem celebrari iussit de vnoquoque mense diem vnum, qui dies* XXV. *semper est. Constituit quoque ex singulis mensibus vnum diem propter S. Michaëlem celebrandum. Vlteriùs ex indicto Synodorum Apostolorum diem martyrij S. Stephani ac aliorum martyrum celebramus. Ex institutione quoque Apostolorum celebrare tenemur duos dies, scilicet Sabbati & Dominici, in quibus non licet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidem. Diem autem Dominicum, vt cæteri Christiani, in memoriam Christi Resurrectionis celebramus. Diem tamen Sabbati ex Legis libris & non ex Euãgelio celebrandũ esse scimus.* Et pag. LXXXVIII. *Sciendum etiam apud nos Kal. Sept. annum incipere, qui dies semper incidit in vigiliam Ioannis Baptistæ. Reliqui dies festi, vt natalis Domini, Paschæ, aliique deinceps, eodem tempore apud nos celebrantur, quo in Romana Ecclesia.*

Moscouitarum festa sic commemorat in rerum Moscouiticarum Cõmẽtariis ante medium Sigismundus Liber Baro in Herberstain, Neyperg & Guettenchag: *Festos dies viri præstantiores,*


*tes, peractis sacris epulis, ebrietate & vestitu eleganti venerantur. Vulgus, domestici ac serui plerumque laborant, dicentes feriari & à labore abstinere, Dominorum esse. Ciues & mechanici diuinis intersunt, quibus peractis redeunt ad laborem, sanctius putantes labori incumbere, quàm bibendo, ludendo & id genus rebus substantiam & tempus inaniter perdere. Nam vulgo & plebi ceruisia & medonis potus prohibitus est. Quibusdam tamen solemnioribus diebus, vt puta Natalis Domini feriis Pascha, Pentecostes & aliis quibusdam, potare illis permissum est: quibus sanè non propter diuinum cultum, sed potum potius à labore abstinent. Trinitatis festum celebrant die lunæ in feriis Pentecostes; in octaua verò Pentecostes festum omnium Sanctorum. Diem autem corporis Christi more nostro non venerantur. Nicolaum Barensem inter sanctos in primis venerantur, déque eius plurimis miraculis cotidie prædicant. Iejunant post octauam Pentecostes, quæ illis est dies omnium Sanctorum vsque ad ferias Petri & Pauli, & dicitur jejunium Petri. Deinde habent jejunium diuæ virginis, à primâ Augusti, vsque ad Adsumptionem Mariæ. Item jejunium Philippi sex septimanis in aduentu Domini & dicitur Philippi, quod initio huius jejunij contingit festum Philippi secundùm eorum Kalendarium. Nullius sancti vigiliam jejunio venerantur, præter Decollationem S. Ioannis, quam XXIX. Augusti quotannis obseruant. Si denique in maiori ieiunio Quadragesimæ aliquis solemnis dies, vt Adnuntiatio Mariæ, inciderit, eo piscibus vtuntur. Doctores quos sequuntur sunt, Basilius Magnus, Gregorius & Ioannes Chrysostomus, quem*

*dicunt* Statausta, *id est aureum os*.

Paulus III. Romanus Pontifex in bulla *Venerabilibus fratribus vniuersis Episcopis Occidētalis & Meridionalis Indiæ, data, Romæ apud S.Petrum anno Incarnat. Dom.* MDXXXVII. *Kalend. junij, Pontificatus ipsius anno* III. Indis occidentalibus & meridionalibus agitandos dies festos ita proponit apud VVaddingum in tomo VIII. Annalium Minorum, ad ann. Christi præscriptum MDXXXVII. num.VI. *Dies in quibus volumus eos à Seruilibus operibus cessare, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Natiuitatis. Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis & Adscensionis ac corporis Domini nostri Iesu Christi, & Pentecostes, necnon Natiuitatis, Adnuntiationis, Purificationis & Adsumptionis gloriosæ Dei genitricis virginis Mariæ, ac beati Petri & Pauli eius coapostoli. Ceteros verò dies festos illis indulgemus.*

Sua etiam hæreticis esse festa, Anglicanis, Scotis, Danis, Suedis, Germanis & Heluetiis testatur his vocibus Benedictus à Benedictis in jaculis Ecclesiæ Christi Catholicæ, hæresi CLX. *Anglici hæretici celebrant festa Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Transfigurationis, Adscensionis, Pentecostes, Trinitatis & nominis Iesu. addunt his Conceptionem; Adnuntiationem, Visitationem & Purificationem intemeratæ virginis Mariæ; inuentionem S. Crucis, & eiusdem exaltationem; Natales item Apostolorum dies, sacra solemnia sanctorum Michaëlis, Ioannis Baptistæ, Stephani, Innocentium, Gregorij, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Martini, Annæ, Agnetis, Agathæ, Magdalenæ, Margaretæ, Luciæ, Cæciliæ, imò*

*imò & sanctorum omnium Kalendis Nouembris festum. Demum non solùm ab his hæreticis Anglicis festa ritu Catholicorum adhuc seruantur, verum etiam ab hæreticis Scotis, Danis, Suedis, Germanis & Heluetiis.* Quod de festis Anglicorum hæreticorum diebus heic adducit, petitum reor ex libro precationum publicarum Ecclesiæ Anglicanæ, quem ad oram sui operis laudat Benedictus à Benedictis.



## CAPVT XXVII.

*Quæ in vniuersum per totam Ecclesiam festa celebrata sint ex præcepto, ante recentiorem à Gallicanis Episcopis procuratam Ecclesiasticarum feriarum amputationem?*

VT faciliùs quæ ex aliorum albo eradi valeant festa cognoscamus, operæ pretium me facturum existimaui, si quæ per vniuersam agitantur Ecclesiam ferias ex iis scriptoribus referrem, quorum diligentiæ debemus earum καταλόγους.

Scriptorum autem eiusmodi est πολύτρητος ille ac πολυθρύλλητος Casuita Vallisoleanus Antonius de Escobar & Mendoza, cui hac in parte fidem omnem & autoritatem sine piaculo adjungi posse non diffitemur. Sic autem scribit in libr. Theol. mor. tract. 1. exam. v. cap. 1.


*In tertio præcepto Decalogi (* Sabbata sanctifices) *determinatur tempus quo Deo est externus cultus tribuendus. In Euangelica lege Sabbatum in diem est Dominicam mutatum. Igitur expendas quænam solemnia obseruare teneamur? Ad Deum pertinet Dominica dies, cuius obseruatio perantiqua, & multis de causis iure canonico introducta. Ad Christum duodecim festiuitates pertinent, Incarnatio, Natiuitas, Circumcisio, Epiphania, præsentatio in templo, Transfiguratio, Passio Domini (quæ minimè in præcepto) Resurrectio, Adscensio (Rogationes de præcepto non sunt) Pentecostes, Corpus Christi, Inuentio Crucis. Beatæ virgini dedicantur, Conceptio, Natiuitas, Præsentatio, Adnuntiatio, Visitatio, Purificatio, Adsumptio, Dedicatio S. Mariæ ad niues, Exspectatio: quarum solemnium Præsentatio, Dedicatio, & Exspectatio non vniuersaliter de præcepto custodiuntur. Ad sanctos denique pertinet Dedicatio Angelorum & Adparitio (ex quibus prima tantùm in præcepto) Natiuitas Ioannis, XII. Apostolorum dies, SS. Stephani, Laurentij, Sebastiani ex consuetudine, S. Syluestri Romæ, Martini alicubi, SS. Antonij & Francisci ex deuotione, Annæ, Magdalenæ, Catharinæ & Luciæ alicubi, festum omnium Sanctorum. Atque adeo dies omnes festi in anno, octoginta sunt & vnus.*

Vno minorem festorum dierum numerum tradit Laurentius Beyerlincx Theologus, Protonotarius, Canonicus & Archipresbyter Antuerpiensis, in tomo III. Magni Theatri vitæ humanæ, tit. *Festum, festi dies*, vbi ait: *Numerus festiuitatum quæ ex generali Ecclesiæ præcepto*

*cepto obseruari ab omnibus debent, ad octoginta vt summum adscendit. Sunt enim Dominicæ regulariter* LII. *Nam per singulos annorum senarios numerantur* LIII. *Festa Domini decem, quorum duo in Dominicos coïncidunt, quibus adde* IV. *adiuncta Pascha & Pentecostes &* I V. *solemnitates beatæ virginis, Natiuitatem Ioannis Baptistæ, Apostolorum decem, quia aliqui combinantur, martyrum tres, inuenies numerum à nobis indicatum. In particularibus autem prouinciis plures adiiciuntur, vtpote SS. Martini, Nicolai, Catharinæ &c. vel Patroni, aut sancti alicuius particularis, vel Dedicationis Ecclesiæ, sic vt numerus vtrobique nequeat definiri.*

At cùm duæ illæ festorum dierum recognitiones, vtrum post, vel ante Vrbani VIII. Bullam adornatæ sint, non ita planum fiat, quæ festa post eiusce Romani Pontificis constitutionem vniuersè à Christianis peracta fuerint inuestigandum est ex Vincentij Tancredi S. I. de virtute religionis tract.I. lib.III. quæst. disput.II.quæst.II.§.XXXVII.vbi scribit: *Post bullam Vrbani* VIII. *editam anno* MDCLII. *pro obseruatione festorum, hæ sunt festiuitates de præcepto seruandæ pro tota Ecclesia. Dies Dominici, Natiuitas Domini, Circumcisio, Epiphania cum Resurrectione, cum duabus sequentibus feriis, Adscensio, Pentecostes cum* II. *seqq. feriis, corpus Christi, sanctissima Trinitas, Inuentio S. Crucis, nempe Maij mense, Purificatio, Adsumptio, Adnuntiatio, Natiuitas beatæ Virginis, Dedicatio S. Michaëlis mense Septembris, Natiuitas S. Ioannis Baptistæ, SS. Apostolorum, S. Syluestri Papæ*

*& confessoris, S. Ioseph, S. Annæ, omnium sanctorum, S. Francisci, S. Stephani, S. Laurentij martyris, & dies vnius ex principalioribus patronis regni vel prouinciæ ( vt est Conceptio beatæ Virginis pro hoc regno Siciliæ ) vel principalioris in quacumque ciuitate ( vt S. Agathæ, Panormi ) oppido vel Pago: Et sic duo festa seruantur Panormi, nempe Conceptio beatæ Virginis, ratione totius regni, & S. Agathæ ratione ciuitatis.*



## CAPVT XXVIII.

### *Malè à Christianis obseruati festi dies in causa fuere cur de eorum copiosiori turbâ conquesti fuerint hæretici.*

AT siue octoginta duo, siue plures sint per vniuersam Ecclesiam agitati festi dies, constat eos omnes bonâ mente ac recto fine imperatos fuisse atque institutos. Sed quemadmodum sanctissima & sacratissima quæque vsu venit vt hominum vel socordiâ, vel improbitate corrumpantur ac profana fiant, aduersus Ecclesiæ Catholicæ mentem, circa festorum institutionem, itur: cúmque omnes & singulæ Christianorum populorum feriæ exquisitissimâ pietate agi debeant, in ludis, saltationibus, nugis, crapulis & lasciuiis vt plurimum aguntur. *A caritatis* enim *feruore* (inquit Doctissimus Nicolaus Clemangius

Bajocensis

Bajocensis Archidiaconus, in libro de nouis celebritatibus non instituendis) *Arcéque contemplationis quàm sit hodie populus alienatus, ipsa res indicat, in quo vix aliquam licet scintillam deuotionis agnoscere, & qui non aliter feriatorum otia temporum ad Epicureas conuertit delicias, quàm si ad hæc ipsæ essent feriæ institutæ.* Quo fit vt Christianorum plerisque non injuriâ accommodari possit quod Tertullianus in cap. XXXV. Apolog. de Romanis in honorem Cæsarum festa celebrantibus, ita scribit: *Propterea igitur publici hostes. Christiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia veræ religionis homines etiam solemnia eorum conscientiâ potiùs quàm lasciuia celebrant? grande videlicet officium focos & toros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? hæccine solemnes dies principum decent, quæ alios dies non decent? Qui obseruant disciplinam de Cæsaris respectu, ij eam propter Cæsarem deserunt & malorum morum licentia pietas erit? occasio luxuriæ religio deputabitur? O nos merito damnandos! cur enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrij & probi expungimus? cur die læto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? honesta res est solemnitate publica exigente induere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris?*

Iam verò si hæc ille vir maximo veræ pietatis studio incensus, totis animis, totóque pe-

ctore aduersus Romanos, infideles tum populos, effudit, quid nunc de Christianis Catholicis dicturus esset, qui eâ ebrietate & lasciuiâ, eâ impietate & impudentiâ, sacratos supremi numinis cœlitúmque gloriæ dies agitant, quã olim (ne quid deterius loquar) Imperatorum suorum festa Romani densissimis mysteriorum nostrorum ignorantiæ tenebris inuoluti concelebrabant? videant, sed pudibundi videant quotquot ad eam infamiam deuoluuntur Christiani, quo pacto apud Lutheranos frequententur festa, & suæ ipsorum postea pœniteat illos dissolutæ vitæ. *Adjectis superstitionibus* (inquit Martinus Chemnitius Lutheranæ factionis homo, in IV. par. examin. decret. Concil. Trident. tit. de festis) *Vera & utilia veteris Ecclesiæ festa ad conuentus Ecclesiasticos eâ deuotione & religione apud nos celebrantur, vt non dubium sit Dei benedictione pietatem inde inflammari & augeri, cum quidem populus doceatur, spiritum sanctum per ministerium verbi & Sacramentorum, velle efficacem esse, & Christum velle medium interesse illis, qui in nomine ipsius congregantur. Dominicis diebus magnâ solemnitate frequentia populi ad decantandas laudes Dei, ad auditum & meditationem verbi, ad vsum Sacramentorum, ad publicas preces & collationem eleëmosynarum & alia pietatis exercitia conuenit. Præterea de præcipuis beneficiis Christi & de principalibus doctrinæ cœlestis capitibus solemnia festa magnâ deuotione & religione celebrantur, explicatione doctrinæ & publicâ celebratione beneficiorum Dei.*

Multi.

Multi propterea eruditi ac pij homines aduersus illam morum corruptelam, quæ ex occasione festorum dierum apud Christianos impune grassatur, acerbè inuecti sunt, eámque insectati vehementer, ac nimiam feriarum Ecclesiasticarum multitudinem fuerunt conquesti. Neque intactam illam atque insalutatam prætermiserunt hæretici, qui vt non probatos sibi Catholicorum hominum mores prodant, nullum non mouent lapidem. Ita enimde ea fantur apud Matthiam Flaccum Illyricũ, pag. CCCXLVII. Cathalogi testium veritatis, ex editione Argentinensi an. MDLXII. in XXXVII. *Grauaminum* quæ imperante Karolo V. an. Domini MDXXII. in comitiis Norimbergæ, Legato Papæ oblata sunt: *Insuper & feriarum festorumque dierum tantâ copiâ laicorum vulgus non mediocriter vrgetur. Nimirum cùm tot sint religiosi festi dies vt vix ægrè tempus agricolis suppetat, quo fructus agri tot sudoribus de terra pellectos, aliquando aquâ pluuiâ, immodicóve æstu, non rarò etiam grandine, aliáue tempestate periclitantes in horrea conferant: quos tamen fructus si non feriarum solemnibus præpediti forent, commodè ac citra iacturam ex agro legere, demúmque ferre potuissent. Adde quod feriatis quoque diebus, qui dubio procul bono consilio ac in Dei optimi maximi honorem primum bene sunt feriati, innumera perpetrantur delicta peccatáque & scelera, potiùs quàm his omnipotens colatur veneretúrve. Id quod res ipsa notorium facit, tantum abest vt testibus hoc egeat. Eam ob causam sacri Romani imperij status laici consultiùs putant ac reipublicæ Christianæ*

*conducibili*

*conducibilius, si effrenis feriarum (quæ animis quàm externo cultu Christianis, hoc est his quibus à peccatis semper feriandum est, rectiùs celebrantur) festorúmque dierum numerus paulò coërceatur in arctum, minuatúrque.*

Ita etiam de frequentiori festorum dierum numero loquitur Hospinianus vir doctus quidem, sed Catholicis infensissimus in Prolegomenis ad libros *de origine & progressu festorum dierum*, vbi habet: *de Christianorum feriis peculiari libro agam, & quod paucissimas habuerit vera primitiua Ecclesia, progressu autem temporis mirandum in modum à superstitiosis hominibus sint accumulata, & non in Dei, sed hominum mortuorum honorem & cultum instituta, ostendam.* Quod multis postea in præfato peculiari libro exaggerat.

Ita denique Chemnitius in loco iam laudato, tit. *De superstitionibus quæ in festiuitates irrepserunt*, pagg. CCLXVII. & CCLXVIII. Edit. Francoford. an. MDCVI. In quibus scribit: *Vetus est querela de nimis magna festorum multitudine: non quod exercitia pietatis frequentiora damnentur, sed quia vulgus, quod per labores plerúmque à multis vitiis arcetur, ex feriis nimium frequentibus occasionem arripit ad compotationes & alia multiplicia vitia. Cùm itaque multitudo festorum non amplius iam ita ad ædificationem faciat, sicut in veteri Ecclesia, rectè faciunt qui suadent vel multitudinem illam minuendam, vel diebus illis historias biblicas de festis populo proponendas, post preces dimittendum esse populum ad labores.*

Capvt



## CAPVT XXIX.

*Nimiam festorum dierum multitudinem non probant S. Bernardus, Radulphus à Riuo, Ioannes Gerson, Petrus de Alliaco, Nicolaus de Clemangis, & Regularum Societatis Iesu Auctor.*

QVantumuis autem plausibiles vtcumque sunt hæreticorum de nimiâ feriatorum temporum frequentiâ querimoniæ, suis illas velim auctoribus relinquamus, quibus id quasi proprium & naturale est, vt omnes propemodum Ecclesiæ Catholicæ ritus vel sanctiores suggillent; eósque iniustis sæpissimè conquestionibus in inuidiam adducant quantum possunt; & quid ea de re Catholici & docti viri senserunt exploremus.

S. Bernardi epistola CLXXIV. minimè gratam ipsi fuisse festorum copiam dilucidè ostendit. Quid enim Lugdunenses Canonicos Conceptionis beatæ Mariæ festum diem Ecclesiæ suæ importantes tam seuerè carpsisset? *Miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrûm voluisse mutare colorem optimum nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesia nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid patribus doctiores aut deuotiores sumus? Periculosè præsumimus quidquid ipsorum*

*ipſorum in talibus prudentia præteriuit. Nec verè id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, patrum quiuerit omnino diligentiam præterijſſe.* Quid Aſſumptionis & Natiuitatis Deiparæ Virginis ſolemnibus nouum ſuperaddentes eiuſdem Conceptionis feſtum ita confutaſſet? *Quid adhuc addendum his putamus honoribus?* vt honoretur *inquiunt*, & conceptus qui honorandum præiuit partum, quoniam ſi ille non præceſſiſſet, nec iſte eſſet qui honoratur. *Quid ſi alius propter eamdem cauſam etiam vtrique parenti eius feſtos honores aſſerat deferendos? Sed de auis & proauis idipſum poſſet pro ſimili cauſa quilibet flagitare: & ſic tenderetur in infinitum, & feſtorum non eſſet numerus. Patria eſt non exilij frequentia hæc gaudiorum; & numeroſitas feſtiuitatum ciues decet, non exſules.* Sanè ſi S. Bernardus cuius æuo longè pauciores erant feriæ quàm noſtro, nouè à Lugdunenſibus Canonicis agitatum Conceptionis S. Mariæ feſtum diem non probauit; verbis ſtomachi plenis denſiſſimam quâ nunc premitur vulgus feſtorum nubem fuiſſet inſectatus, reuocatíſque in memoriam antiquioris Eccleſiæ ſolemnibus, *nullâ ei ratione placeret contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis*, quemadmodum ibidem eloquitur.

Radulphus à Riuo Tungrenſis Decanus, *paucas* quoque *debere eſſe feſtiuitates* probat in lib. de canon. obſeru. propoſ. XVII. cuius hæc verba ſunt: *Si obijciatur de vſu fratrum Minorum omnia ſub IX. lectionibus ſeruante, quòd quamuis Romani vltra alias nationes, plures habent feſtiuitates*

*tates propter pluralitatem localium ſanctorum, tamen dicti fratres extra vſum antiquum Romanum, in nouem lectionibus valde abutuntur, & eorum abuſus non eſt ſequendus, ſed omnino deteſtandus. Hoc igitur ſit vnum pracipuum & magnum principale, quod honeſtè & ſecundum ordinem debet fieri à vobis, videlicet vt diſcretè recipiantur & ſecundum auctoritatem poſſibilicrem in locis veſtris admittantur locales feſtiuitates nouem lectionum. Nam vbi de Domino noſtro ſeruatur vna feſtiuitas, ſcilicet Dominicalis, ibi de eodem ſex feria ſubſequuntur. Et quod in hac proportione vnius ad ſex, dies ſeruorum ſuorum feſtiui & priuati eſſe debeant, myſterium habemus ex Euangelio. Nam vbi Dominus noſter in ſuperiori gradu poſuit vnum Apoſtolum, ibi in inferiori poſuit ſex Diſcipulos: & vbi elegit duodecim Apoſtolos, ibi deſignauit ſexies totidem diſcipulos. Sexies enim duodecim faciunt ſeptuaginta duo, qui eſt numerus diſcipulorum Chriſti.* Ipſa enim facta Domini præcepta ſunt, quia dum aliqua tacitus facit, quid agere debeamus innoteſcit, *ſecundum beatum Gregorium in homilia. Sicut ergo pauci ſunt dies Dominici & multa feria, ac pauci Apoſtoli & multi Diſcipuli, ita pauca debent eſſe feſtiuitates & multa feria, ſeu dies ſanctorum trium lectionum. Sit etiam ad hoc ſumma ratio vt pſalterium continuetur, in quo principaliter officium exiſtit. Et ſi bene computes & ordines, non erunt tot feſtiuitates in anno, ſicut ſunt Dominici dies, quia ſerui non debent eſſe ſupra eorum Dominum, nec diſcipuli ſupra magiſtrum. Et credendum eſt huiuſmodi obſeruationem magis gratam eſſe ipſis ſanctis Dei*

*ad finem vt psalterium, sacra scriptura, officium mortuorum, septem psalmi pœnitentiales, quindecim psalmi graduales & huiusmodi seruentur iusto ordine, & pauca fiant festiuitates. Non enim sancti Dei appetunt indebitas laudes, sed vt rationabile fiat obsequium nostrum.* Copiosiorem festorum nouem lectionum numerum damnare non potuit Radulphus à Riuo, quin etiam copiosiorem festorum, qualia apud nos aguntur, numerum damnaret, nam & nostra omnia quæ à Clero & populo obseruantur festa, nouem lectionum sunt, & quam adfert mystica *proportionis vnius ad sex* ratio, vniuersè ad omnia festa attinere dignoscitur.

Illustrissimus Academiæ Parisiensis Cancellarius Ioannes Gersonius, imminuendas esse Christianorum ferias tribus præsertim operum suorum in locis præscribit: I. quidem in III. part. tract. *de cura curatorum*, seu *de visitatione Prælatorum*, vbi ait: *Inquiratur si Parochiani bene seruant festa principalia, veniendo ad missam & stando per totum; vel si recedunt sumptâ aquâ benedictâ, vel post eleuationem corporis Christi. Notetur heic de moderatione qualiter fieri possit in tot festis, siue per Concilium generale, siue per prouincialia de consensu eiusdem Concilij generalis.* II. autem in sermone de Natiuitate beatæ Mariæ quem habuit in Concilio Constantiensi, ad quod Ecclesiæ & vniuersitatis Parisiensis nomine missus fuerat. Ibi enim postquam de celebrando S. Iosephi festo die nonnulla edisseruit, continuò subiungit: *Non quod multiplicationem festiuitatum apud vulgus, quod de*

*labore*

*labore manuum viuere habet, suadeamus. Esset vtinam apud tales huiusmodi numerus festiuitatum minor, sicut in reformatione heic in Concilio notatum est, sed apud Ecclesiasticos & de Ecclesiasticis talia loquimur, dum de celebritate virginalis conjugij Ioseph cum Maria, vel de ipsius transitu fieri solemnitatem exoptamus.* Quibus ex verbis actum etiam in Constantiensi Concilio de festorum dierum imminutione manifestum est. III. Denique in II. parte operum ipsius editorum an. MDCVI. Sermone habito in Concilio Remensi an. MCCCCVIII. partit. III. prouisione IV. his verbis: *Quid insuper de multitudine praeceptiua tot festorum, quae vel non obseruantur, & ita peccatur; vel egestati subditorum mechanicorum non sufficienter consulitur, vel pessimae otiositati, qua nesciunt rurales bene vti, janua grandis aperitur. Subintroeunt consequenter magno agmine ebrietates, lites, lusus improbi, expensae sumptuosissimae, choreae plenae peccatis & insaniis & carminibus blasphemis, imo & per Inquisitorem damnandis, dissolutiones quoque luxuriosae, & ad breue verbum subingreditur malum omne, itavt quod pro honore Dei & pro animarum salute fuit sapienter institutum, vertitur in contumeliam eius & salutis detrimentum.*

Anno MCCCCXV. Mense Nouembris, Petrus de Alliaco Cardinalis: Et Episcopus Cameracensis librum obtulit Constantiensis Concilij Patribus, hoc donatum titulo: *de Reformatione Ecclesiae*: Et in cap. *de Reformatione Praelatorum*, minuendos festos dies ait, dandámque (nisi in maximis celebritatibus) laborandi licentiam

licentiam suadet *post auditum officium* ( *vt ipsemet loquitur. Prouidendum esset*, inquit, *quod in diuino seruitio non tam onerosa prolixitas, sed deuota & integra breuitas seruaretur. Quòd in Ecclesiis non tot noua festa solemnizarentur. Quòd non tot noua Ecclesia ædificarentur. Quòd non tot noui sancti canonizarentur: Quòd præterquam in diebus Dominicis & in majoribus festis ab Ecclesia institutis liceret operari post auditum officium: tum quia in festis semper magis multiplicantur peccata in tabernis, choreis & aliis lasciuiis, quas docet otiositas: tum quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad necessaria procuranda. Quod in huiusmodi festis scriptura apocrypha, aut hymni noui, orationes, seu alia voluntates non legerentur, omissis antiquis, & authenticis, & iam in Ecclesia consuetis.*

Gersonio & Alliacensi coætaneis & familiaribus suis concinit Nicolaus Clemangius Catalanensis, Archidiaconus Bajocensis, qui cum iis Constantiensi Concilio interfuit, in suo *de nouis celebritatibus non instituendis* tractatu, in quo totus ferè est in damnandâ festorum dierum nimiâ multitudine. *Non puto*, inquit, *conueniens esse ( quod cum sapientiorum venia dixerim ) nouas his diebus celebritates, nullâ præsertim necessitate cogente, in sanctâ Ecclesiâ institui. Satis enim superque multiplicata sunt, & in tantum, quidem exuberant, vt rectiùs consultiúsque minuenda videantur, quàm amplianda. Rara quippe in pretio sunt, in honore habentur, vsu trita cotidiano vilescunt. Non mandauit imò Dominus per Moysen nisi tres annuas solemnitates*


*præter*

*præter sabbatismum per Israëliticum populum obseruari, & propterea ampliori cultu venerationis, majorique diligentia ac frequentia ad templum plebs adoratura confluebat.* Et post medium; *Nonne satis in omnibus Ecclesiis festa multiplicata sunt? vix temporali officio, inchoandisque semel in mense historiis propter cotidiana sanctorum solemnia locus relinquitur. Dies consultò à patribus Deo relictos, sanctorum natalitiis absolutos, noui assiduè Sancti occupant, & pulsus cogitur Deus suo loco cedere. Habuerunt majores nostri tantam erga sanctos deuotionem, quantam nos habemus, sed secundum scientiam fuit zelus eorum, qui noluerunt ita Sanctos coli, vt Deus negligeretur, nec iustum putauerunt tot Sanctorum in Ecclesia gesta recenseri, vt non possent in ea legis veteris & noui testamenti volumina, salubri patrum ordinatione in omnibus Ecclesiis cathedralibus, regularibus ac conuentualibus & legi debita & pridem solita, vt essent viri Ecclesiastici, ad quos aliorum pertinet instructio, in sacris literis imbuti, cotidianæque lectionis exercitio assueti.* Aliam præterea rescindendorum festarum rationem sic addit: *Quod autem ad postremum dicitur, non oportere propter scandalum quorumdam tolli festiuitates, sicut propter scandalum Iudæorum Christus à prædicatione non destitit, non congruit similitudo. Nulla enim data erat Iudæis à Christo occasio scandali, imò totius ædificationis. Sed illam suâ peruersitate gratis acceperant. Heic autem ex lubricâ licentiâ lubricæ dissolutionis maxima præbetur scandali materia. Teste autem Euangelio abscindendum est quod scandalizat, etiamsi manus fuerit aut pes, aut oculus.*

Si

*Si enim væ homini illi qui vnum ex pusillis Christi scandalizat, quantum væ illis qui omnes penè indiscretè pusillos cum majoribus scandalizant?*

His accedit Regularum Societatis Iesu Scriptor, in libr. cui titulus est *Ratio atque institutio studiorum Societatis Iesu*, inter Regulas Prouincialis, ait.xxxvii. §. ii. in quo legas *Certi statique sint dies festi, quorum numerum minui magis quàm augeri oportet. Eorum catalogum conficiendum curet pro suæ regionis eius.*



## Caput XXX.

*Numerosiorem festorum dierum turbam damnant Polydorus Virgilius, Desiderius Erasmus, Bertrandus Argentræus, & Petrus Faber Roquayrolsius.*

Polydorus Virgilius Vrbinas in cap. viii. libri vi. de rerum Inuentoribus cumulatiorem quoque festorum dierum numerum condemnat his vocibus: *Dies alij aliis, festi festis ex paruis quandoque causis accumulati sunt, id quod haud scimus an expedierit, cùm præsertim videamus eò rediisse Christianorum mores, vt quàm olim ex religionis vsu erat hæc instituere, tam nunc præstare videatur ea antiquare, cùm bona pars hominum otium illud festorum dierum non ad orandum, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam*

*corruptelam augendam, in dies magis magisque impudenter consumat, dictitans se id animi gratiâ facere, quasi planè sentiens cum Platone, qui ob illud ipsum, Deum eiusmodi festa sacra instituisse aiebat. Atque ita bellè Ethnicos proinde in hac re, vt in nimis multis aliis æmulantur, quod tantum abfuit vt majores nostri fecerint, vt etiam illud ipsum audacter iisdem Ethnicis vitio dederint. Faxit igitur Deus, vt Pontifices nostri tandem aliquando istos dies festos vtiles reddant; quod facient si minuendos ac castè agitandos curarint.*

Idipsum cum Polydoro Virgilio sentit liberrimi vir ingenij Desiderius Erasmus in chiliad. cent. VI. chil. II. §. XII. vbi exponens prouerbium illud (*Ignauis semper feriæ sunt*) ex Theocrito in Bucolicis sumptum, hæc ait: *Qui fugitant laborem, optant dies festos, quò liceat otiari, ventrique & voluptatibus indulgere. Siquidem antiquitus in hoc dabuntur agricolis feriati dies aliquot, vt lusu reficerent lassitudinem. Admiscuerunt autem religionem, quò moderatiores essent lusus. At hodie Christianorum vulgus feriis olim ad pietatis vsum institutis, in compotationes, in scorta, in aleas, in rixas, in pugnas abutitur: nec vllo tempore plus committitur flagitiorum, quàm quo maximè conueniebat à flagitiis abesse. Nec vmquam magis imitamur Ethnicos, quàm cum præcipuè Christianos oportebat agere. Cúmque palàm sit rem iuuandæ religioni repertam, in religionis perniciem vrgere, tamen haud scio quo consilio Pontifices cotidie ferias addunt ferijs, cùm potiùs conueniat prudenter imitari medicos, qui pro ratione morborum mutant remedia, tantùm illud*

*illud ceu scopum spectantes, ut bonæ valetudini conferant. Proinde eum videant rem olim pro temporum illorum ratione salubriter institutam, nunc mutatis Christianorum moribus, pestem esse pietatis: quæ tandem religio est constitutionen eodem mutare consilio, quo veteres illi constituerunt? Quod de festis diebus dico, de multis aliis sentiendum est; non quòd damnandas existimem Christianorum ferijs, sed quòd in immensum nolim crescere: & paucas eas quas instituit priscorum auctoritas, ad id conuerti cupiam ad quod repertæ sunt. Nam verè Christianis omnis dies festus est; Malis verò, quæ maxima turba est, festi dies minùs festi sunt quàm profani.* Tum in libro de amabili Ecclesiæ concordia circa finem hæc ait: *Turbam festorum dierum quos vel Episcopi multitudinis affectibus indulgentes induxerunt, vel Romani Pontifices caussis non necessariis instituerunt, ipsi facile patientur abrogari. Quod genus sunt festum Conceptionis & Natiuitatis Virginis Matris, item festum præsentationis in templo. Et haud scio an expediret nullum omnino festum solemne indici, nisi cuius argumentum exstat in sacris literis. Diem Dominicum semper excipio. Facilè patientur esse festa pauciora, modò ea quæ supersunt maiore religione celebrentur. Non est omnino profanus dies quo licito labore citráque fraudem paratur, quod uxorem alat ac liberos, aut proximi subleuet inopiam. Festa quæ sodalitates sibi priuata constituunt auctoritate, unà cum ipsis sodalitatibus à magistatu tollenda sunt. Nihil enim aliud sunt quàm Comi & Bacchi conventicula.*

Erasmo concordat eâ in re Redonensis

curæ Præses Clarissimus Bertrandus Argentræus in *Ætiologia* seu *ratiocinatione de reformandis caussis* ad artic. I. tit. I. consuetudinum generalium prouinciæ & ducatus Britanniæ, anno MDLXXX. emendatarum, vbi scribit: *Festos dies esse & religiosè coli vetus est Ecclesiæ constitutum, & verò non solùm pietati sed & politicæ conuenit. Nam & religioni per eos dies aduertere intentiùs est constitutum, & laborum esse oportet aliquam hominibus remissionem. Nimium multos esse, nec publicæ disciplinæ expedit, nec veræ pietati, quod & quidem de veteribus Theologis plerique scriptis libris questi sunt. Dixi in conuentibus ordinum, eos qui vulgò religiosi haberentur, in pauciores contrahendos mihi videri, & hanc Ecclesiastici ordinis curam esse debere. Rationes adjeci, exempla attuli. Nam & vsu nimium certè compertum est inerti otio luxum, comessationes, popinas, & ceteras noxias artes: & nequitiam ali nimiâ frequentiâ, & festos prodigere, quod magno sæpe labore profesti peperere. Sæpe ego homines tenuis fortunæ audiui querentes, grauiùs se à cœlitibus quàm à furibus compilari, cùm victum manualibus operibus, diebus talibus quærere prohiberentur, interim cùm vxoribus & paruis liberis egentes domi, cùm necessitati & inopiæ nullæ sint feriæ. Quare vulgo multitudinem Indigetum contemni & ordinem sacrum vim dignationis non tenere. Scribit Dion Claudium Imperatorem multas ferias abrogasse & in pauciores contraxisse, cùm major anni pars talibus inutiliter absumeretur, magno reipublicæ detrimento. C. Cassius Senator apud Tacitum disserit.* Diuidi sacros & negotiosos dies oportere queis diuina co-

lerentur & humana non impedirentur. *Quod si profana exempla non placerent, non aliter olim Ecclesiæ, non aliter Pontificibus visum in cap.* licet, *& cap. vltimo*, extra, de feriis, *& esse ista de eorum genere in quibus Apostolus cuique Ecclesiæ in suo sensu abundare permittit, vt minij albo expungantur, aut in alios reijciantur. Quin & quorumdam scriptis moribus sua esse Kalendaria lege constituta. Locus non ferebat vt plura dicerentur de tot valde suspectis apotheosibus, quibus permulti vulgatis dumtaxat populi rumoribus in cœlum inconsultis Pontificibus irrepsissent. Id ostendere Martini Episcopi factum, de quo Sulpitius Seuerus memorat & Pontifex cap.* 1. de reliquiis & veneratione Sanctorum. *Exstat articulus in constitutionibus Francicis Karoli Magni, religiosi Imperatoris, quo* Falsa numina Martyrum & incertas Sanctorum memorias *venerari prohibemur. Et quæ nunc natio non suum aliquem indigetem., quæ verò non plures habet incertis auctoritatibus, quos populus instabili iudicio, studiis inconsideratis in cœlum euexit, minorum illos quidem gentium, sed tamen creditos. Quibus de caussis instlitimus poscentibus duobus ordinibus, vt Ecclesiasticus ordo & Episcopi cum clero ferias recognoscerent, & communi omnium sententia contraherent, aut, si videretur, etiam eximerent albo. Nam & vulgo cœpisse numerum contemni, & contemptu Augustæ potestatis auctoritatem imminui. Sed enim in multitudine feriarum non magna temporis iactura plus satis ferianti ordini visa est. Ergo extundi non potuit receptum morem caussificantibus & periculosam omnem mutationem in religiosis institutis. Erat quod responderetur,*

*tur, sed datum est Ordinum concordia ne quid amplius vrgeretur, & contemni is ordo malebat quàm cedere. Nam Petrobrussianos, VValdenses, qui hoc in totum contemnunt, inter Schismaticos reponimus.* Hic ille est Bertrandus Argentræus cui inter Gallos doctrinâ illustres locum dedit in IV. Elogiorum libro politissimus Scæuola Sammarthanus, vbi huius *Viri fama & existimatione sic Aremoricos merito superbire* adseuerat, *vt non secus ab eo quàm à Duarenis & Baronibus æternam sibi apud posteros gloriam polliceantur.* Non solùm autem Argentræo displicuisse festorum dierum multitudinem ex præscriptis verbis adparet, verùm & duobus Aremoricæ prouinciæ Ordinibus.

Eadem etiam mens fuit Petro Fabro Roquayrolsio, Tolosano Senatori, ac in suprema Castrensi Curia & Camera edicti, fisci Procuratori generali, in Conclusionibus forensibus, conclus. III. in qua hæc habet Gallicè quæ nos ita Latinè reddidimus: *Diœcesani Episcopi videtur esse festos dies Kalendario eximere potiùs quàm eos augere, propter inde enascentia incommoda. Nimirum ex festorum dierum incremento agri remanent inculti; vnde sterilitates & annonæ caritas; vnde vel nulla, vel impossibilis decumæ, aliorúmque id genus vectigalium solutio. Præterea ineluctabilis est operariorum viuendi ratio licentior, qui quidem festorum eiusmodi dierum otio abutentes, sæpiùs eos in ganeis ac popinis transigunt, quàm in pietatis Christianæ exercitiis. Quo fit vt eorum imminutioni potiùs quàm incremento consulere, debeat Episcopus, secundum Ecclesiasticam*

 *disciplinam;*

*disciplinam*; *idque eo facilius, quod idem subinde ab Ecclesiæ incunabulis ad nostra vsque tempora factitatum fuerit, quia sic in immensum creuerat feriarum numerus, vt anno* DC. *exclamauerit S. Gregorius:* Adspicite Fratres? totus mundus Martyribus plenus est; *&* S. *Cyprianus:* Super arenam multiplicati sunt, *secundum ista S. Ioannis in Apocal. verba:* vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.



## Capvt XXXI.

*Vberiorem festorum dierum copiam conquestus est apud Clementem* VIII. *Henricus* IV. *Francorum Rex*; *conquesta quoque est vniuersa propemodum Gallia*; *neque sanctissimo illi Pontifici displicuit festorum dierum imminutio.*

Post illustrium virorum, S. Bernardi, Radulphi à Riuo, Gersonij, Clamangij, Regularum Societatis Iesu conscriptoris, Polydori Virgilij, Erasmi, Argentræi & Roquayrolsij relatas de nimiâ festorum dierum multitudine conquestiones, Magni quoque Henrici Galliarum Imperatoris querimonia est in colophonem adducenda. Apud Christianissimum illum principem maxima nostratium pars olim de frequentiori feriarum copia suas querelas edidit, eúmque enixè obtestata est, vt à Romano

Romano Pontifice earum amputationem postularet. Rex optimus iuxtà ac generosissimus eum ad finem Romam scripsit Domino Lucemburgensi, vt suis ipsius verbis ea de re cum Clemente VIII. ageret, & quid sentiret Pater sanctissimus, diligenter percontaretur, nuntiarétque postmodò. Narrat id eminentissimus Cardinalis Alnoldus Ossatus in epistolâ CLXXI. ad Magnum regem datâ, die Ianuarij XVIII. an. MDXCIX. his verbis, provt à nobis Latina facta sunt ex Gallicis: *Nuper cùm Bononiæ agerem, Rex Christianissime, in ipso Romani Pontificis Ferrariâ Romam reditu, cum Illustrissimo Cardinali Florentino contuli de mandato, quod Lucemburgensi Domino, scriptis ad eum IV. Non. Octobres literis, dederas, vt cum sanctissimo Patre colloqueretur de ingenti feriarum turba, quæ in Galliis celebrantur, impediúntque quominus excolantur agri, sicut expediret. Et posteaquàm quid de eiusmodi negotio sentiret præfatus Cardinalis exploratum mihi fuit, cum summo Pontifice Kalend. Ianuariis, quo die beneuolas aures hac in vrbe mihi accommodauit, rem totam communicaui, ipsique tum verbo, tum etiam scripto exposui, quomodo ob præteritorum bellorum tam ciuilium, quàm externorum diuturnitatem ac violentiam, Galliæ populorum numerus, maximè qui in agris, in vicis majoribus, & villis commorantur, adeò decreuerat, vt residui colendæ terræ pares non essent, ob numerosam præsertim dierum feriatorum multitudinem, qui toto regno aguntur, præter eos qui Christo Domino, Virgini matri, Apostolis, aliisque præcipuis cœlitibus sacri sunt ac solemnes; adeovt*

*ex majori agrorum parte inaratâ remanente, maxima in vniuersam Galliam exundet annonæ penuria: quod & vehementer Gallis omnibus incommodabat & in causa erat cur vectigalia consueta & reipublicæ fouendæ necessaria non persoluerentur. Vnde in multis ex regni partibus interpellatus vt huic necessitati prouideres atque prospiceres, summum Pontificem maximo rogabas studio, vt, saltem ad annos aliquot, aliis quàm Christi Domini, Virginis Mariæ, Apostolorum, nonnullorúmque præcipuorum Diuorum diebus festis, exercendæ terræ, aliorúmque ad id operis attinentium præstandorum, cunctis copiam faceret; & hoc singulari beneficio te sibi deuinciret ac vniuersum regnum, restitutâ ipsi pristinâ vbertate atque abundantiâ, rescissisque pluribus vitiis, quibus vulgo indulgent, qui tot festorum otio, pietatis officiis consecrato, malè vtentes, comessationibus, ludis, crapulis, impudicitiis, iurgiis, aliisque noxiis ac damnosis oblectamentis sese permittunt; hinc spondebas fore vt tota Gallia ardentissimas pro summi Pontificis incolumitate rebúsque prosperis, pro Romanæ sedis & Ecclesiæ sanctæ Parentis nostræ incremento atque elatione, ad Deum preces funderet.*

Intelligimus quidem ex Ossati Cardinalis literarum contextu non injucundam fuisse Clementi VIII. quarumdam feriarum in Galliis resectionem: sed quid eâ de re contigerit, & quænam extiterint eiusmodi feriæ, non intelligimus. Illud verosimilius asseruerim, feriarum, quæ id ætatis agitabantur in Gallia, numerum illi fuisse æqualem qui in Academiæ Parisiensis *Reformatione* sub Iacobo Augusto Thuano

Thuano Parisiensis Senatûs principe factâ, reperitur in art. LXXVII. LXXX. LXXXI. LXXXII. & LXXXIII. statutorum facultatis artium. Henrici siquidem IV. iussu lata & promulgata sunt eiusmodi statuta III. Nonas Sept. an. MDXCVIII. Hoc est vno circiter anno ante conscriptam Ossati Cardinalis epistolam, quemadmodum titulus iste indicat: *Leges & statuta in vsum Academiæ & Vniuersitatis Parisiensis lata & promulgata anno* D. MDXCVIII. *die* III. *Sept. iubente & mandante Christianissimo & inuictissimo Francorum & Nauarræ rege Henrico* IV. Atqui illud est festorum dierum album qui in vniuersitate, & vt probabilissimum videtur, in diœcesi Parisiensi aliisque pluribus Galliarum diœcesibus agebantur, si peculiaria quorumdam locorum festa excipias:

Dies *Ianuarij mensis*. I. *Circumcisioni Domini*. III. *Genouefæ Virgini*. VI. *Epiphaniæ Domini*.

Februarij. II. *Purificationi beatæ Mariæ Virginis*. XXIV. *Matthiæ Apostolo*.

Martij XXV. *Adnuntiationi beatæ Mariæ Virginis*.

Aprilis XXV. *Marco Euangelistæ*.

Maij. I. *Iacobo & Philippo Apostolis*. IX. *Translationi Nicolai Episcopi*.

Iunij XI. *Barnabæ Apostolo*. XXIV. *Natiuitati Ioannis Baptistæ*. XXIX. *Petro & Paulo Apostolis*.

Iulij. XXII. *Mariæ Magdalenæ*. XXV. *Iacobo Apostolo*. XXVIII. Annæ matri Virginis Mariæ.

Augusti. X. *Laurentio Martyri*. XV. *Adsumptioni beatæ Mariæ* Virginis. XXIV. *Bartholomæo Apostolo*.

Septembris VIII. *Natiuitati beatæ Mariæ Virginis*. XIV. *Exaltationi S. Crucis*. XXV. *Matthæo Apostolo & Euangelistæ*. XXIX. *Michaëli Archangelo*.


Octobris. X. *Dionysio & socius martyribus*. XVIII. *Lucæ Euangelistæ*. XXVIII. *Simoni & Iudæ Apostolis*.

Nouembris. I. *Omnibus Sanctis*. II. *Defunctorum Commemorationi*. III. *Marcello Episcopo*. XI. *Martino Episcopo*. XXV. *Catharinæ Virgini*. XXX. *Andreæ Apostolo*.

Decembris. VI. *Nicolao episcopo*. VIII. *Conceptioni beatæ Mariæ Virginis*. XXI. *Thomæ Apostolo*. XXV. *Natiuitati Domini*. XXVI. *Stephano protomartyri*. XXVII. *Ioanni Apostolo & Euangelistæ*. XXVIII. *Sanctis Innocentibus*.

*Dies autem festi qui mobiles dicuntur, hi sunt: Pascha*, cum duabus sequentibus feriis. *Adscensio Domini, Pentecostes*, cum duabus itidem sequentibus feriis. *Festum corporis Christi. Octaua festi corporis*, & omnes dies Dominici.

Quando itaque Cardinalis Ossatus vno ante Vniuersitatis Parisiensis Reformationem, vt aiunt, anno, Henrici IV. verbis quærebat à Clemente VIII. Vt feriarum festarúmque dierum numerum temperaret, eas dubio procul ferias accipiebat quarum recensionem modò protuli; cúmque sanctissimus Pontifex istam festarum dierum detractionem sibi non displicere manifestò testatus sit, nonne quasdam ex hoc καταλόγῳ ferias iure ac merito eradi posse, nobis significauit.



# CAPVT XXXII.

## *Imminuendas esse ferias generalibus* XIII. *rationibus suadetur.*

SEd enim quis verè Christianus, quis Ecclesiasticæ disciplinæ rectâ æmulatione succensus non ingemiscit, non tabescit, quoties Deo præpotenti, Cœlitibúsque consecratos dies, sathanæ ipsiúsque pompis & operibus totos ferè videt deuoueri? Quis impiis illis & malè feriatis Catholicis, qui festos dies suis contaminant facinoribus, eorúmque sanctitatem violant, à Deo dictum per Isaïam Prophetam in cap. 1. non confiteatur: *Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam & Sabbatum & festiuitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri; Kalendas vestras & sollemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à nobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestra sanguine plena sunt?* Cùm enim Dei Sanctorúmque ipsius solemnia agitare debeant, sua ipsorum festa peragunt, suas ipsorum seruant celebritates. Vnde fit vt hoc illis Deus exprobret: *Iniqui sunt cœtus vestri, Kalendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea.* Non ait, *Cœtus veros, Kalendas meas, sollemnitates meas*:

licèt eorum & *cœtus*, & *Kalendæ* & *ſolemnitates* ipſius nomine fierent, ſed *cœtus veſtros*, ſed *Kalendas veſtras*, ſed *ſolemnitates veſtras*, quia ſui ipſorum potiùs aut cacodæmonis *cœtus, Kalendas & ſolemnitates* frequentabant, quàm Dei. O viros illos omni miſeratione digniſſimos & ignorantiæ tenebris inuolutos! O filios Eccleſiæ degeneres & parenti inficiandos! quandoquidem malo illorum merito, de eâ pronuntiari poteſt quod eſt apud Ieremiam in cap. I. Threnorum: *Viderunt eam hoſtes & deriſerunt ſabbata eius.* Meliùs ergo conſultiúſque eiuſmodi hominum ſaluti proſpicitur, ſi imminuantur feſti dies, quàm ſi minimè imminuti indigno otio & prauè factis aut dictis conſpurcentur. Quò enim pauciores erunt, eò minus propter ipſos peccabitur, & qui retenti occaſionem peccandi pleriſque ſubminiſtraſſent, ſublati maximam partem atque abrogati, peccandi materiam eripient.

Vt autem heic nihil de iis rationum ponderibus adducam, quæ ſingularia quædam feſta ex aliorum albo obliteranda euincunt, quæque ſuo poſtea loco nobis erunt adferenda; ecce tibi generales aliquot imminuendorum feſtorum rationes producimus in proſpectum.

I. enim cùm de nimiâ feſtorum dierum multitudine conquerantur non hæretici tantummodo; Chemnitius, Matthias Flaccus Illyricus, Hoſpinianus & alij id genus ſexcenti; verùm etiam ſapientiſſimi viri S. Bernardus Radulphus à Riuo, Gerſonius Petrus de Aliaco, Clemangius, & Regularum Societatis

Ieſu

Iesu auctor : nec non & politissimi scriptores Polydorus Virgilius ac Erasmus ; & eruditissimi Iureconsulti Argentræus ac Roquayrolsius : & ipse Rex Christianissimus Henricus IV. vnà cum plerisque Galliarum populis : & innumeri propemodum variorum temporum docti ac religiosi viri , quibus profana festorum dierum celebratio grauis fuit semper ac molesta ; quis non putet aliquam eorum querimoniarum habendam esse rationem , idcóque festos dies quosdam desecandos ?

II. Si ( quemadmodum ratiocinantur Clemangius in libro de nouis celebritatibus non instituendis ) *rara in pretio sunt, in honore habentur, vsu trita cotidiano vilescunt* : Si ( quod Tertullianus ait in lib. de hab. mul. cap. VII.) *semper abundantia contumeliosa in semetipsa est. Apud Barbaros quosdam quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores* : cuius pretij esse possunt nostrorum temporum festi dies ita frequentes, quo loco numerari sic conferti ? nonne *vsu tritos cotidiano vilescere* necesse est ? Nonne *in semetipsis esse contumeliosos?*

III. Nullam de festis diebus legem fixit Christus, sed Apostoli tantùm paucos instituêre, & qui eos paulò post insequuti sunt Episcopi, paucos etiam ; adeo vt quinque aut sex prioribus Ecclesiæ sæculis raræ admodum imperatæ fuerint feriæ, quibus tamen contenti fideles populi, religione, modestiâ, feruore charitatis, spei firmitudine, constantiâ, ma-

lorum tolerantiâ, cæterísque omnibus Christianis virtutibus maximum sibi apud posteros nomen fecêre. Quare ergo pauca nobis non satis erunt festa? An veteribus illis Christianis religiosiores sumus? an recti seruantiores? Faxit Deus eorum virtutem imitemur quam miramur!

IV. Mortalem hanc, quam trahimus vitam, exsilium esse qui cum SS. Patribus recogitauerit, paucas esse ferias admittendas facilè concedet, neque dubitabit cum S. Bernardo dicere in epistola CLXXIV. ad canonicos Lugdunenses: *Patriæ est non exsilij frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festiuitatum ciues decet, non exsules.*

V. *Scimus quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc* (inquit Apostolus ad Rom. cap. VIII.) *Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Quâ igitur ratione fieri potest vt ita ingemiscentes, ita assiduis calamitatibus iactati, oppressi, frequentibus festorum dierum gaudiis animum adjungamus? *Quid est homo?* (interrogat Seneca in cap. XI. consolat. ad Marciam) *imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum: alimenta metuens sua, quorum modò inopiâ modò copiâ rumpitur: anxiæ solicitæque tutelæ, precarij spiritus & malè hærentis. Odor illi sopórque & lassitudo & vigilia & humor & cibus, & sine quibus viuere non potest, mortifera sunt. Non omne*

cœlum

*cœlum ferens, aquarum nouitatibus flatúque non familiaris auræ, & tenuissimis causis, atque offensionibus morbidum, putre, cassum, à fletu vitam auspicatum, longa conantem eum mors opprimit, & hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.* Et hominem illum iteratæ sæpius festorum lætitiæ par est indulgere. *Interim* potius *dum tantis plagis tamque lethiferis vrgemur, non festiua iucunditate nos exultare docet, sed potius debet in luctum verti cithara nostra & organum nostrum in vocem flentium, & iuxta verba Domini per Amos prophetam conuerti debent in luctum festiuitates nostræ & omnia cantica nostrum planctum, lamentisque & assiduis suspiriis opem diuinæ clementiæ nos implorare conuenit, vt nos de tantis sua benignitate pressuris eruat,* quemadmodum præclarè ait in libro de nouis celebritatibus non instituendis clarissimus Clemangius.

VI. Pauci erant in veteri lege festi dies; Sabbatum, cuius frequens in diuinis literis occurrit mentio. Celebritatis Azymorum, seu Paschatis, Primitiarum hebdomadarum, Messis seu Pentecostes, Cubarum, Expiationis, ac tabernaculorum, Leuit.XXIII. cap. Sortium siue Epularum, Esth.IX. Neomeniæ siue Nouilunij, Num.XXVIII. I. Reg. XX. Ezech. XLV. Encæniorum, lib.I. Machab.cap.IV. Recepti è cœlo ignis sacri, lib. II. Mach. cap.I. Et cæsi Nicanoris, lib.I.Mach.c.VII.& l.2. Mach.cap. vltimo. Plures ergo in lege nouâ esse festos dies quid expedit, in quâ *leui iugo suo Christus nos subdidit & sarcina leui*, vt loquitur in epist. CXVIII.

cxviii. ad Ianuarium S. Augustinus? Nam & cùm pauciora Sacramenta sint ad legem nouam attinentia, plura verò ad antiquam, cur plures esse in nouâ lege ferias oportet quam in antiquâ? *Sacramentis* (inquit ibidem S. Augustinus, *numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit* Christus. Quare non etiam festis *numero paucissimis obseruatione facillimis, significatione præstantissimis*, eadem illa *populi noui societas colligabitur?*

VII. *Vbi de Domino nostro Iesu Christo* (verba sunt Radulphi à Riuo de obser. canon. propos. xvii.) *Seruatur vna festiuitas, scilicet Dominicalis, vbi de eodem sex feriæ subsequuntur. Et quod in hac proportione vnius ad sex dies seruorum suorum festiui & priuati esse debeant, mysterium habemus ex Euangelio. Nam vbi Dominus noster in superiori gradu posuit vnum Apostolum, ibi in inferiori posuit sex discipulos; & vbi elegit duodecim Apostolos, ibi designauit sexies totidem discipulos. Sexies enim duodecim faciunt septuaginta duo, qui est numerus discipulorum Christi.* Ipsa enim facta Domini præcepta sunt, quia dum aliqua tacitus facit, quid agere debeamus innotescit, *Secundùm beatum Gregorium in homilia. Sicut ergo pauci sunt dies Dominici & multæ feriæ, ac pauci Apostoli & multi discipuli: ita paucæ debent esse festiuitates & multæ feriæ.* Cùm autem festorum dierum numerus Dominicarum dierum numero propemodum æqualis sit, festos dies imminuendos, qui Radulphum audierit, nemo non fatebitur.

VIII. Opifi

VIII. Opificibus, mercenariis, bajulis, agricolis, aliísque eius generis hominibus non videntur rationes denegandæ quibus debita suo Principi vectigalia soluendo sint; quomodo autem stante ingenti feriatorum dierum turbâ, quibus à labore sibi temperandum est, habere poterunt vnde se suámque familiam nutriant, ac præterea lucrentur impunè pecuniam quâ se à tributis valeant vindicare? Quæ ratio est Michaëlis de Creney Antissiodorensis Episcopi, apud Clemangium in libro de nouis celebritatibus non instituendis; Henrici Magni apud Ossatum Cardinalem in epist. CLXXI. Et Roquayrolsij in Conclusionum forensium III. Notum prætereà est omnibus Pij IV. Rom. Pontificis responsum. Cùm enim apud ipsum Populus Ro. conquestus esset quòd ex re frumentaria exiguum aliquod vectigal pensitari iussisset: Vos, inquit, longè iustius de Paulo IV. deplorare par est, qui solidum vobis diem & labori destinatum subtraxit, institutâ Cathedræ S. Petri celebritate.

IX. Festorum dierum otium non aliter quàm in compotationibus, ludis improbis, illicitis mercatibus, damnosis conuentibus, saltationibus impudicis, rixis & cæteris eiusmodi, cùm consumant mortalium plerique; quid est cur ea vacui & liberi temporis facultas ipsis non subtrahatur? Quod non Gersonius solùm, Clemangius, Polydorus, Erasmus, Argentræus, Faber, & Henricus IV. causantur; sed etiam episcopi ferè omnes qui siue in Synodis, siue extra Synodos de festorum amputatione decreta ediderunt.

X. Si nullæ feriæ reſcindantur, detrimenti nonnihil feret familiare inter mercatores commercium, non ciuili tantùm, ſed & Chriſtianæ reipublicæ aliquatenus fouendæ vtile atque neceſſarium.

XI. Ex tantâ feſtorum multitudine Deum ac Cœlites contemnendi anſam arripiunt nefarij quidam homines, cuius ordinis ij ſunt quos ſæpe conquerentes audiuiſſe ſe teſtatur Argentræus, *grauiùs ſe à Cœlitibus quàm à furibus compilari, cùm victum manualibus operibus, diebus talibus quærere prohibeantur, interim cum vxoribus & paruis liberis egentes domi.* Quænam igitur religio erit aliquas ex hac tanta multitudine ferias eximere? Atque hoc eſt Argentreæi ratiocinium, cui non parùm fauet Ioannes Caramuel Lobkovvitz Diſembergenſis, Mœlroſæ Abbas, Ordinis Ciſtercienſis, & Suffraganeus Pragenſis, in epiſtola quam adfert in fund. LII. Theologiæ fundamental. §. 11. vbi ait: *Video Mechanicos in Belgio viros abuti Eccleſiæ clementiâ, aut ab Epiſcopis affligi, aut, ſi mauelis, perdi. In ditionibus Regi ſubjectis præter Dominicas & ſolemnes beatæ Virginis, Apoſtolorum & aliorum Cœlitum dies ſunt ciuitatum Dedicationes, victoriarum feſtiuæ commemorationes, & ipſæ tam frequentes, vt magnam anni partem occupent. In Batauicis verò, præter Dominicam nulla feſtiuitas. Cùm ſint igitur hereticæ & catholicæ ciuitates confines, hoc ſingulis diebus video, hoc experior: miſeri homines qui vxore & familia grauantur, quatuor diebus victum pro ſeptem lucrari non poſſunt, ideóque in rebelles ciuitates ſuffugiunt,*

*vt tibi plus lucrantes, commodiùs victitent aut opulentiùs. Ex hac fugâ* 4. *mala oriuntur necessariò.* I. *Regem Catholicam vassallos perdere.* II. *crescere hostium numerum.* III. *Hostes istos ditescere. Transfugarum enim nobis manufacta venduntur, & nostra pecunia nobis transuehitur in Betaniam, vt contra nos & Ecclesiam Catholicam militet.* IV. *Eos, vtpote profugos, sub initium sollemnitatum numerum detestari, mox sanctorum cultum irridere, & tandem in Caluinianismum labi. Cùm igitur hæ jacturæ valde frequentes sint, petiturquid debeant prudentes in talibus miseriis constituto consulere? Vt laboret etiam diebus festis, si consulam, respondebit se secretò & impunè hoc non posse, maximè cùm debeat plerumque in domibus diuitum operari qui hoc non permittent. Ergo videtur ad supremum Ecclesiæ tribunal recurrendum, petendúmque vt declaret omnes illos, qui actualiter non habent pecunias sufficientes vt victitent, posse diebus festis operari.* Et in alterius epistolæ ad se à Barone quodam scriptæ fragmento, quod adducit ita in §. VI. *Ne videar obligationibus meis deesse, scribo has paucas lineas, & gratias habeo ob humanitatem quâ Domini sui nomine me præfectus excepit. Postridie matutino tempore volui illi valedicere; at aberat, & laborabat rure. Et quia erat S. VViti sollemnitas, rogaui vxorem an non rustici festos sanctarum obseruarent? Et illa: Domini mei (nempe Monachi Monsserratenses) festa obseruant pro nobis, orant pro nobis, jejunant & agunt pœnitentiam pro nobis, &c.* sic anus illa decrepita & hypochondriaca omnes *Ecclesiasticas obseruantias in humeros suorum Dominorum*

*minorum exonerans: vt vel ipsâ teste esset verum illud Poetæ junioris.*

Plebs, dum pro populo presbyter orat, arat.

*Et quidem ergo jam sciebam rusticos non jejunare, rarò orare; sed putabam saltem festa colere vel inuitos. Audio tamen hæc coli Pragæ; sed extra mœnia vel in S. VViti die (Bohemorum Patronus ille est) rusticos operari. Cur ergo multiplicantur festa si non seruantur: & præcipuè in Bohemia? Nam si Natiuitatus iure rustici viuere suis Dominis teneantur, & tot diebus operari pro Domino: si vna diecula quæ illis relinquitur (si relinquitur) à parocho festiua dicatur, illi Deo, ne dicam ampliùs, vouebunt Parochum, nec induci poterunt vt sua negligant, fame pereant, & diem obseruent. Anne Domini aliter sunt processuri? Respondent rusticos esse sua mancipia (& verè in Bohemia illi mancipia sunt) & nemini injuriam inferre, qui suo jure vtitur. Si petatur vnde victuri sunt rustici, si festa obseruent. Ipsi viderint, inquiunt. Si aliquis Dominus clementior esse velit: omnes ceteri inclamant, rem esse magnæ consequentiæ & scandali, & debere iura manuteneri. Omni ergo nisu allaborandum vt Ecclesia festorum numerum dignetur aliquando minuere.*

XII. Cùm è nostris diebus festis plurimi triticeæ messis & vindemiæ temporibus eueniant, quibus necessitate cogente sæpius à rusticanis hominibus polluuntur, nonne eos ex toto abrogari expediret quàm violari?

XIII. Denique minuendos dies festos, neque illos solùm quibus adjuncta est laborum remissio, sed & alios plures qui in recentioribus

bus quibuſdam Kalendariis comparent, ex eo intelligitur quòd illorum copioſa multitudo multa perimat, multa ſuo loco moueat, multa permiſceat in diuinis & Eccleſiaſticis officiis ſapienter à ſanctis patribus inſtituta. Quoties enim, amabo in Breuiarij recitatione ob enaſcentia feſta Dauidici pſalterij ſingulis hebdomadis lectio abrumpitur, quæ tamen officij diuini præcipua pars eſt & maxima, quemadmodum pluribus oſtendit Cardinalis Quignonius Præfatione ad nouam Breuiarij formam à ſe curatam? Quot pereunt anno currente Dominicarum dierum officia tantopere ab Eccleſiaſticis tractatoribus collaudata? Quot officia concurrunt mutuò ſe ſe impedientia? Quoties officium beatæ Mariæ perimitur, tum majus in ſabbato, tum paruum, quod cotidianum appellatur, vtrumque iam inde à DC. annis Petro Damiani Cardinali & Epiſcopo Oſtienſi auctore ordinatum, & in Claromontano Concilio primitus ſub præcepto promulgatùm anno MXCVI. De officio mortuorum, quod exquiſitæ pietatis eſt, quid loquar, cùm & illud ſæpius intercurrentibus feſtis omitti oporteat? Quid jejunia commemorem in quibuſdam religioſis Ordinibus indicta, quæ feriatis temporibus ſolui neceſſe habent? Sed hoc incommodi loco fortaſſe ab omnibus non habebitur.

Cùm itaque non contemnendis rationibus minuendos eſſe dies feſtos pateat, miror qui noſtris temporibus tam præpoſteri iudicij homines inueniantur vt pro iis retinendis aut

restituendis tanquam pro aris & focis digladientur. Tantum enim abest vt imminutis feriis diuinus imminuatur cultus, fideliúmque populorum erga (cœlites obseruantia, vt potiùs vehementer augeatur, quandoquidem inde & impiis peccandi occasio tollitur, & piis festos dies, quo pauciores sunt numero, eo majori pietate intensiorique feruore agitandi ratio suppeditatur. *Perspicuum est igitur* ( vt cum Clemangio caput istud finiam ) *Nullum præjudicium, nullum suæ deuotionis impedimentum ex subducta festorum numerositate bonis adferri, sed plurimam proficiendi materiam tribui.*



## Capvt XXXIII.

*Gallicani Episcopi, qui nostrâ ætate festos dies resecant, id exequuntur solùm quod Clemens* VIII. *Henricus* IV. *& Galli plerique animo iamdudum conceperant; nihilque in eâ resectione ab illis fit quod fieri posse & ratio non euincat, & anteactorum temporum auctoritas non persuadeat.*

QVia verò paucæ in omnibus fermè Galliarum nostrarum prouinciis à Clementis VIII. Romani Pontificis obitu dimissæ sunt Ecclesiasticæ feriæ ante Henrici Magni de nimiâ

miâ earum frequentiâ expoſtulationem obſeruatæ ( quandoquidem quotquot in citatâ ſuperiùs Pariſienſis Vniuerſitatis Reformatione deſcribuntur, vnâ fortaſſis aut alterâ demptâ, ante illuſtriſſimi Harduini Pariſienſium Archiepiſcopi de feſtorum dierum imminutione ſtatutum, datum die Octobris XX.an.MDCLXVI. in diœceſi Pariſienſi, aliiſque pluribus agebantur ) eſt profectò cur Gallicanæ Eccleſiæ antiſtites feſtorum detractioni, ad Chriſtianiſſimi regis optata hiſce temporibus quaſi vnanimi conſenſu ac conſpiratione inuigilantes, dicamus illud tantummodo executioni demandare, quod Clemens VIII. Henricus IV. & Gallia penè omnis iampridem in animo habuêre.

Quamobrem non vt temerarium aliquod conſilium & labefactandis venerandæ antiquitatis iuribus inuentum: non vt inuidioſa quædam optimarum ſaluberrimarúmque Eccleſiæ conſuetudinum euerſio, ſpectari debet illa feriarum diminutio; multóque minùs vt contumelia Deo opt. max. illata ipſiúſque Diuis, quorum cultus ad ipſum reuocatur, perinde ac ipſius gloria maxima eſt illorum gloria, ſecundùm hæc egregia S. Ambroſij verba in lib. III. de fide cap. VII. *Domino defertur cùm ſeruus honoratur: interdum Domini gloriâ ſerui honorantur:* Sed vt conuenientiſſima potiùs ac potentiſſima ratio, quâ fidelis populus ad meliorem vitæ frugem ſe ſe recipiat, otium vitet omnium malorum fontem, majoríque veneratione & exquiſitiori religione feſtos dies ſibi ab

epiſcopis

episcopis & pastoribus suis imperandos concelebret. *Non* enim ( inquit in libro sæpiùs laudato Nicolaus Clemangius ) *Instituerunt sancti Patres antiqui Zelo piæ religionis affecti, sanctorum in Ecclesia memorias fieri, vt sanctis consulatur, quibus satis in paradiso consultum est: sed vt saluti animarum in terrâ peregrinantium, ex hócque lutoso exsilio ad illam beatissimam patriam suspirantium. Vnde &* Sabbatum propter hominem factum *Saluator expressè testatur in Euangelio. Non eget Deus bonorum nostrorum, non egent sancti eius, omnium in illo bonorum plenitudine satiati. Quid enim Deo ex nostro potest cultu accrescere? Quid sanctis ex nostra laude vel gloriosa prædicatione? Non suâ nunc magnopere famâ ore hominum celebratâ propter se delectantur, qui illam adhuc in terris positi, fragilique carne circumdati, excellenti animi virtute contempserunt. Nobis, si ritè festa celebramus, totus ipsius celebritatis obuenit fructus, quæ propter nostram sunt salutem excitandámque deuotionem ordinata, vt in sanctorum natalitiis parumper à curâ carnis, atque à corporali labore qui propter illam suscipitur, sequestrati, animæ curam agamus, animæ commodo laboremus.*


Studium itaque oppidò paternum, quod Galliarum præsules erga Dei ac Sanctorum gloriam, animarúmque suæ ipsarum curæ ac fidei commissarum salutem testâtur, nunc nunc summis laudibus prosequamur. Immortales illorum solicitudini ac pietati gratias agamus, qui nos eo frui concedunt, quod à tam longo tempore exoptarunt, quódque tanto cum ardore,

dore, ſed fruſtra, ambiuerunt patres noſtri. Antiſtites noſtros dum ferias aliquot irritas faciunt, ne dicamus ſuæ poteſtatis cancellos & limites prætèrgredi, aut, vt Græci prouerbio loquuntur, ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεσθαι. Imò verò bonâ fide ac lubenti animo confiteamur, quemadmodum in ſuis quilibet eorum diœceſibus nouas ferias poſſunt inſtituere, ſic & jam inſtitutas, eâdem auctoritate poſſe coërcere atque reſcindere. Colligitur hoc ex capite *Pronuntiandum* diſt. III. Decreti part. III. ex lib. II. decret. tit. IX. cap. *Conqueſtus*; ex cap. VII. Concilij Toloſani an. MCCXXVIII. ex Cenomanenſi Synodo MS. quam adſeruat Cl. Feronius; & perpetuo Eccleſiæ Catholicæ vſu confirmatur, quo conſtat varios variis ætatibus feſtos dies ab Epiſcopis fuiſſe indictos atque etiam abrogatos: neque verò id inficiabuntur alij, quàm qui Epiſcopos ferendarum legum Eccleſiaſticarum poteſtatem ſuis in epiſcopatibus non habere inficiantur. Nihil hac in re noſtrates Epiſcopi jnjuriæ faciunt Romano Pontifici, neque vllo pacto in ipſius auctoritatem & iuriſdictionem inuadunt aut inuolant. Iam ab anno Chriſti MDLXXXIII. Ad id eos cohortatum eſt Concilium prouinciale Burdigalenſe, ſub Antonio Preuotio Sanſaco, Archiepiſcopo Burdigalenſi & Aquitaniæ Primate coactum, vt videre eſt his verbis in tit. VI. *Epiſcopi in ſua ſinguli Synodo, habitâ noſtrarum temporum ratione, dies feſtos ſuarum diœceſium ad pauciorem numerum, quoad populum, reducere curabunt, eoſdem-*

*que*

*que propositis etiam eorum arbitrio pœnis, debitâ cum reuerentiâ curent obseruandos.* Ad hoc ipsum etiam eos longè ante huiusce Concilij celebrationem magnopere hortati fuerant Ioannes Geisonius & Nicolaus Clemangius. Id eorum in potestate esse censent Argentræus & Roquayrolsius laudati suprà. Id fieri vehementer exoptarunt Erasmus & Polydorus Vergilius quorum in cap. xxx. testimonia retulimus. Et ipsemet Romanus Pontifex Clemens VIII. fatetur ingenuè ( neque ideo tamen auctoritatem suam vel minimum hac in parte violari autumat ) Episcopum in suâ quemque diœcesi, festos dies posse temperare, sicuti narrat Cardinalis Ossatus in epistola iam ante memoratâ, vbi habetur: *Hoc mihi responsum fecit Pater sanctissimus, non ingratam esse sibi feriarum imminutionem, modò ea esset quam exposueram necessitas, atque omnia bono sine fierent, non ad abolendos sensim sine sensu festos dies omnes. Nihilominus tamen quod fieri postulabas, Rex maxime, esse penes Episcopos, qui, vtpote in Galliis degentes, de re tota meliùs se absente possent iudicare. Ego talia dicenti repesui, te responsum ipsius quodammodo prauidisse, eo quòd ( vt literis tuis significasti ) Episcopos ad medendum isti incommodo hortatus esses; sed pro ea quo singuli Pontifices erga suarum diœcesium festa afficiuntur amore, tibi visum conuenientius si sanctitatem suam deprecareris vt per se ipsa de festorum diminutione statutum ederet, cui lubentiùs omnes subscriberent ac morem gererent. Quare sanctitatem suam, vt id præstaret, etiam atque etiam obtestatus sum, & schedulam à me oblatam*

*oblatam expenderet, si vellet tibi pariter ac toti regno pergratum facere. Accepta deinde schedula, hanc se expensurum respondit Rom. Pontifex. Ab hinc octauo die, qui dies erat veneris, v I. Idus Ianuarias, hunc adij, injectóque de festis diebus sermone, sciscitatus sum num quid de ijs apud se statuisset. At ille, rem excussi (inquit) & quod jam præmonui, Episcoporum esse censeo festa, prout rei necessitas & recta conscientia postulabunt, ad arbitrium suum imminuere. Canonicæ porrò ciuiléſque leges quando nam rusticana opera exercenda sint, versandaque gleba, quod vrget Rex Christianissimus, apertè præstituerunt; adeo vt quemadmodum in Euangelio legimus Abrahamum improbo diuiti respondisse:* Habent Moysen & Prophetas: *ita etiam dico:* habent in Gallia Episcopos, habent canones & leges. *Hæc fuit Romani Antistitis responsio. Quo factum est vt istam totius rei faciliùs exsequendæ rationem ipsi proposuerim; nimirum Cardinali Gondio mandaret vt in regionum statum conditionémque inquireret, nec non in singularem pietatem quà diuersarum prouinciarum incolæ sanctos quosdam venerarentur; atque ita feriandī immunitatem, vt sibi necessaria videretur, erogaret. Verum his omissis, primæ responsioni suæ institit summus Pontifex.*



## Capvt XXXIV.

*Concilium Remense, Concilium Trullanum, Karolus Magnus, Concilium Moguntinum, Haito Basileensis Episcopus, Ludouicus Pius, VValterus Aurelianensis Pontifex, Concilium Constantiense & Concilium Tolosanum, festos dies aliquot resciderunt: imminutos quæ iam à longo tempore nonnullos, incertâ licèt ratione, suadet Concilium Turonense* II.

HIs quæ in supremo capite modò retulimus tam perspicuis, totámque, quâ de agitur, controuersiam tam breuiter conficientibus, Ossati Cardinalis, imò & Romani Pontificis Clementis VIII. vocabulis alia subjungere, quibus Episcopos suarum diœcesium ferias minuere suo iure posse demonstrem, superuacaneum videretur omnino, nisi omnem ea de re dubitandi locum ex animis velim eximere. Itaque illud idem à Pontificibus multis siue in Synodo, siue extra Synodum, atque etiam ab Imperatoribus Christianis quibusdam, factum fuisse, variis ex antiquioribus recentioribusque monumentis, luce meridianâ clariùs innotescet.

Valentinia

Valentinianus, Theodosius & Arcadius Imperatores, in lib. III. Cod. tit. XII. de feriis, cap. *omnes dies*, sacri Paschatis solemnia quindecim diebus absque vllo forensi strepitu, atque ideo absque vllo seruili opere, ab omnibus populis ditioni suæ parentibus, peragenda decreuerant IV. Sæculo, his verbis: *Sacros Paschæ dies, qui septeno numero vel præcedunt vel sequuntur.* At XV. seu XIII. dies illos (omissis & qui sequitur & qui præcedit, duobus Dominicis diebus) ad duos reuocauit Concilium Remense an. DCXXX. in can. XX. vbi legas: *Resurrectio Domini cum die sequenti.* Ad septem, Concilium Trullanum sub Iustiniano iuniore, anno DCLXC. in can. VI. ἀπὸ τῆς ἁγίας ἀναστασίμου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας μέχρι τῆς καινῆς κυριακῆς, τὴν ὅλην ἑβδομάδα ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις σχολάζειν δεῖ ἀπαραλείπτως τοὺς πιστοὺς ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, εὐφραινομένους ἐν Χριστῷ καὶ ἑορτάζοντας, καὶ τῇ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει προσέχοντας, καὶ τῶν ἁγίων μυστηρίων κατατρυφῶντας· ἐσόμεθα γὰρ οὕτω Χριστῷ συνανιστάμενοί τε καὶ συνυψέμενοι· μηδαμῶς οὖν ἐν ταῖς προκειμέναις ἡμέραις ἱπποδρομία, ἢ ἑτέρα δημώδης θέα ἐπιτελείσθω. Ad sext. Concilium Matisconense II. can. II. *Pascha nostrum omnes debemus festiuissimè colere, & in illis sanctissimis sex diebus nullus seruile opus audeat facere.* Ad octo, Karolus Magnus in lib. I. capitul. cap. CLXIV. *Pascha dies octo*, & in lib. VI. cap. CLXXXVI. *In Pascha Domini vsque in octauas Paschæ.* Ad quatuor Moguntinum Concilium I. in can. XXXVI. *Diem Dominicam Paschæ cum omni*

*honore & sobrietate venerari: similiter feriam* II. III. & IV. Ad nouem Basileensis Episcopus Haïto, in capitul. capp. VII. & VIII. *Sanctum Pascha, usque ad octauum diem: sabbatum sanctum.* Ad septem Ludouicus Pius in lib. II. Capitul. cap. XXXV. *Diem Dominicum Pascha cum omni honore & sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam obseruare decreuimus*; Et Concilium Engilenheimense tempore Agapeti II. anno DCCCCXL.VIII. in cap. VI. *Ut Paschalis hebdomada festiuè tota celebretur.* Ad nouem præterea VValterius Aurelianensis Episcopus in capitulis, cap. XVIII. *Sabbato sancto, Pascha dies octo.* In præsentiâ verò per vniuersam ferè Ecclesiam ad tres tantùm dies festos reducuntur.

Gebehardus Constantiensis Episcopus & sanctæ sedis Apostolicæ in Germaniam legatus, *anno* MLXCIV. *tempore Vrbani Papa* II. *in hebdomada majore ante Pascha, cum Abbatibus & Clericis innumerabilibus cum ducibus & reliquis Alemania principibus pro reformanda disciplina Ecclesia*, Concilium Constantiense habuit, in quo quatuor post Paschatis celebritatem dies resecuit & è festis fecit profestos, dum integram Paschatis hebdomadam, quæ in omnibus propè Germaniarum diœcesibus solemni cultu seruabatur, ad tres solùm dies redegit, sacróque Pentecostes diei duos alios adjunxit feriandos. Huiusce Concilij acta, quæ temporum injuriâ ad nos vsque non deuenere, enarrantur à Bertholdo Constantiensi, Augustiniano, & Academiarum ordinis sui per Germaniam

maniam Regente ( vt aiunt ) eorum inspectore ( quem Bellarminus Cardinalis in libro de scriptoribus Ecclesiasticis *Historicum fidelissimum & pium* vocat ) in historia siue Chronologia rerum gestarum sui temporis, vbi sic ait: *Iam statuit* Gebehardus *vt tam in hebdomada Pentecostes, quàm in hebdomada paschali, tres tantùm dies festiui celebrarentur. Nam vsque ad illud tempus, Constantiensis Episcopatus morem comprouincialium non est sequutus, videlicet integram septimanam in Pascha, & vnam tantùm diem in Pentecoste obseruando, quamuis vtraque septimanæ eiusdem obseruationis esse debuerint; & quamuis alij Episcopatus penè omnes prædictam constitutionem iam ab antiquo tenuerint. Hæc, inquam, ipse in proprio Episcopatu, & ex Episcopali auctoritate, & ex Apostolica legatione canonicè potuit instituere: nam & legatus fuit sedis Apostolicæ per totam Teutonicam terram vsquequaque.*

Adscensionem Domini festis diebus adnumerauerant ante annum MCCXXVIII. S. Augustinus in epist. CXVIII. ad Ianuarium, Concilium Agathense in can. XXI. Concilium Aurelianense I. in can. XXIX. Chrodogangus Metensis Episcopus in Regulæ canonicorum cap. LXXIV. Karolus Magnus in lib. I. capit. CLXIV. & lib. V. cap. CLXXXVI. Concilium Moguntinum in can. XXXVI. Haito Basileensis episcopus in cap. VIII. Ludouicus Pius in lib. II. cap. XXXV. Concilium Aquisgranense II. in can. XLVI. Herardus Turonensis Episcopus in capit. LXI. VValterius Aurelianensis Pontifex, in capit. XVIII. Concilium Lugdunense ;apud Gratia-

num in III. part. decr. de consecrat. dist. III. cap. *Pronuntiandum*; Emmanuël Comnenus Imperator in constitutione quam refert Photius in nomocan. tit. VII. cap. I. Synodus Galonis & Simonis legatorum apud Bochellum in lib. IV. decret. Eccl. Gallic. tit. IX. cap. XIII. & Concilium Oxoniense; Iidemque scriptores omnes, vno excepto S. Augustino, iisdem in locis festum SS. Apostolorum Petri ac Pauli recensuerant; quod etiam ab Imperatoribus Valentiniano, Theodosio & Arcadio, à Nicolao I. in cap. XI. responsionis ad Consulta Bulgarorum, ab Alueredo Magno Anglorum rege, in tit. XVIII. legum Ecclesiasticarum, à Concilio Ænhamensi in cap. XV. & à Concilio Salegunstadiensi cap. I. factum fuerat; Et tamen vtrumque illud festum, Adscensionis nempe Domini & SS. Apostolorum Petri & Pauli, abrogauit Concilium Tolosanum an. MCCXXVIII. Vt vel inde discas instituta ab Apostolis festa & ipsasmet Apostolorum celebritates posse antiquari, etiamsi per vniuersam Ecclesiam obseruentur.

Aliquos etiam dies festos, siue Contrariâ consuetudine inualescente, siue aliâ quâuis ratione nobis incognitâ, imminutos fuisse olim, ex his Concilij Turonensis II. vocabulis in can. XVI. patet: *Inter natalem Domini & Epiphaniam omni die festiuitates sunt.* Cum enim à Natiuitate Domini ad Epiphaniam vsque XIII. dies sint, & jam à multis sæculis XIII. festa illis diebus non agitentur in Ecclesia: aliqua desiisse necesse est. Item in canone sequenti

quenti : *Toto augusto manicationes fiant, quia festiuitates sunt.*

Denique ferè quotquot supra retulimus festorum dierum recognitiones, cùm agitandorum numerum definiant, argumento est ipsi alios quoque antiquarij, quos scilicet ante eiusmodi recognitionum tempora ex Ecclesiasticis monumentis discimus frequentatos.

## CAPVT XXXV.

### *Ægidius de Bridport Sarisberiensis Episcopus, Concilium Maghfeldense, & Simon Islip Cantuariensis Archiepiscopus festa quædam reuocarunt.*

IN secundo Conciliorum orbis Britannici à Spelmano editorum volumine constitutiones leguntur Ægidij de Bridport Sarum seu Sarisberiensis Episcopi, anno Christi MCCLVI. promulgatæ, quarum ad calcem hæc ait : *Saluâ Sanctorum reuerentiâ duximus statuendum, quod exceptis sollemnitatibus Natiuitatis Dominicum 4. diebus sequentibus, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis & Adscensionis & Pentecostes cum tribus diebus sequentibus, singulisque sollemnitatibus Dominicis : exceptis & Virginis gloriosæ, Apostolorum. Euangelistarumque festiuitatibus, & S. Crucis, S. Michaëlis, S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij & Translationis S. Thomæ : festo S. Martini, & S. Mariæ Magdalenæ, & S. Katherinæ, festo*

*quoque de Dedicatione in Parochiis suis, necnon & Sanctorum in quorum honore singulæ Ecclesiæ construuntur, nullius alterius festiuitas ab agricultura & laboribus siue quibus terra coli non possunt, Parochianis suis indicetur per Presbyteros ferianda.* Quænam eâ Constitutione festa rescindantur, planum quidem non est: nonnulla tamen rescindi, postremis illis verbis significatur: *Nullius alterius festiuitas ab agricultura & laboribus sine quibus terræ coli non possunt, Parochianis suis indicetur per Presbyteros ferianda.*

Concilium Maghfeldense, anno MCCCXXXII. à Simone Mepham Archiepiscopo Cantuariensi & Apostolicæ Sedis Legato, celebratum, nonnullos quoque festos dies hacce constitutione abrogauit; quæ sic ab eodem Spelmano ibidem recensetur: *Simon permissione diuina Cantuariensis Episcopus, totius Angliæ Primas, & Apostolicæ sedis Legatus, Venerabili fratri nostro Roberto Dei gratia Sarum Episcopo, salutem & fraternam in Domino caritatem. Ex scripturis sacris didicimus vitia sæpè sub virtutis specie mentiri, dum viz. sub figmento sanctitatis ad execranda proceditur & sub specie cultus diuini ad abominabilem Deo victimam properatur. Ab exordio nempè conditionis humanæ die dumtaxat septimo hebdomadæ, statuit omnium conditor ab operibus abstinendum; sed succedente tempore gratiæ militans adjecit Ecclesia dies plurimos ab omnibus Catholicis feriandos. Et quilibet postmodum vsus hominum, tolerante Ecclesia, propter operandi necessitatem, nonnullos à feriandi ritu subtraxit, & quosdam in diuersis Catholicorum partibus festiuis superaddidit*

*dit localiter obſeruandos, qui quaſi à primordiis, ob venerationem Sanctorum in feſtinandi conſuetudinem introducti fuerunt. Inconſtantiâ tamen humanâ vt plerumque in deteriora libenter, quod in electorum Dei receptum erat honorem, conuerſum eſt in blaſphemiam & abominationem, dum viz. conuenticula negotiationis, & alia exercitia illicita diebus huiuſmodi potiſſimis ingeruntur; quod verò ad deuotionis parabatur compendium, in diſſolutionis exigitur cumulum, dum in ipſis feſtiuitatibus, taberna potiùs quàm Eccleſia frequentatur, comeſſationes, & ebrietates vberiùs abundant, quàm lacrymæ, & orationes, laſciuiis inſiſtitur & contumeliјs, magis quàm otio contemplationis, (& quod prætermittendũ non eſt,) Mercenarij ſunt, quorum operibus reſpublica regi non poterit, ſi ſub colore licito, ſic ab operibus mechanicis, diebus etiam quos feſtiuos conſtituunt, à ſanctorum vigiliis abſtinent, licèt non minus per hebdomadam capientes de ſalario (per quod reſpublica grauiter retardatur, quin potiùs impeditur,) nec propter Dei honorem, ſicut deceret Sabbatiſant, ſed etiam iuxta præmiſſa, Dominum ipſum & ſanctam Eccleſiam in diebus huiuſmodi abominatione ſua ſcandalizant: tanquam ſolemnitates ipſæ ad prophanationis & peruerſitatis exercitium, gratis fuerint inſtitutæ, quæ quantò magis protendũtur in vno, tantò abundantiùs cultores abuſionum huiuſmodi in ſuis exceſſibus inſoleſcunt. Vt igitur tam ſuperſtitioſis adinuentionibus, & etiam fraudulentis Mercenariorum huiuſmodi coniecturis occurratur, & eorum attenuetur occaſio, memoriæ Sãctorum feriandæ iuxta primam Eccleſiæ inſtitutionem, in debita habeantur veneratione; reſeruatâ*

*facultate viris Ecclesiasticis, alijsque maioribus, ac sibiipsis sufficientibus, quorumcumque festorum, prout eis placuerit, ad Dei Honorem in suis Ecclesiis & Capellis solemniter venerandi; De Fratrum nostrorum consilio dies festos præsentibus inserere duximus quibus viz. ab vniuersis populorum operibus, etiam reipublicæ vtilibus, per nostram Cantuariensem Prouinciam fuerit regulariter abstinendum.*

*In primis sacrum diem Dominicum, ab hora diei Sabbati vespertina inchoando, non antea præueniendo, ne Iudaïcæ professionis participes videantur, quod etiam in festis quæ suas habent vigilias obseruetur. Item festa Natiuitatis Domini, SS. Stephani, Ioannis, Innocentium, S. Thomæ martyris, Circumcisionis, Epiphaniæ Domini, Purificationis B. Mariæ, Pascha cum* III. *diebus sequentibus, S. Marci Euangelistæ, Apostolorum Philippi & Iacobi, Inuentio S. Crucis, Adscensionis Domini, Pentecostes cum* III. *diebus sequentibus, Ioannis Baptistæ, Apostolorum, Petri & Pauli, Translationis S. Thomæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi Apostoli, Assumptionis B. Mariæ, S. Laurentij, S. Bartholomæi Natiuitatis S. Mariæ. Exaltatio S. Crucis, Matthæi Apostoli, S. Michaëlis, S. Lucæ Euangelistæ, Apostolorum Simonis & Iudæ, omnium Sanctorum, S. Andreæ Apostoli, S. Nicolai; Conceptionis B. Mariæ, Sancti Thomæ Apostoli, solemnes dedicationes Ecclesiarum Parochialium, & Sanctorum, in quorum honore Ecclesiæ Parochiales dedicantur. Alia festa quæ in singulis dictæ Prouinciæ Diœcesib. per locorum ordinarios ex certa scientia peculiariter inducuntur.*

*Vobis igitur mandamus quatenus præmissa omnia & singula ad subditorum vestrorum notitiam de-*

*deducentes, eos moueatis, & efficaciter inducatis, vt festa superius connumerata prout suis acciderint temporibus, summo opere obseruentur, & debito venerentur honore, & ad parochiales earum Ecclesias reuerenter diebus ipsis accedant, Missam & aliorum diuinorum Officiorum complementum exspectent, pro ipsorum ceterorúmque fidelium viuorum & defunctorum salute, & Deum deuotè & sinceris mentibus oraturi, sic festorum ipsorum decurrendo solemnia, vt ipsi & alij Catholici pro quibus orauerint, Sanctos, quorum festa celebrauerint, intercessores mereantur habere assiduos apud Deum. Intimetis etiam subditis vestris huiusmodi quod reliquis Sanctorum festiuitatibus, impunè poterunt ad opera procedere consueta. Si verò aliqui operarij conductitij occurrerint, qui festis peculiaribus non, vt prafertur, inductis à consuetis operibus cessare præsumpserint, vt sic, secundùm præmissa eos defraudent quorum ministerio se adstrinxerint, ipsos à superstitionibus huiusmodi Canonica compescatis, & faciatis per alios compesci per Ecclesiasticas Censuras, & quid feceritis, in præmissis nos circa festiuitatem beatæ Mariæ Virginis proximò nunc futuram, certificetis per vestras literas patentes, harum seriem continentes. Datum apud Maghfeld. XVI. Kal. Augusti, an. Dom.* MCCCXXXII. *& nostræ Consecrationis anno* XIII.

In eo Maghfeldensi Concilio de festorum dierum imminutione actum esse demonstrant illa verba : *Vt igitur tam superstitiosis adinuentionibus, & etiam fraudulentis mercenariorum huiusmodi conjecturis occurratur, & eorum attenuetur occasio memoriæ Sanctorum feriandæ iuxta primam*

*Ecclesiæ institutionem in debita habeantur veneratione, reseruatâ facultate viris Ecclesiasticis, aliisque maioribus, ac sibiipsis sufficientibus, quorumcumque festorum, prout eis placuerit, ad Dei honorem in suis Ecclesiis & Capellis solemniter venerandi.* Nisi enim de abrogandis quibusdam festis tractatum fuisset, cur *Viris Ecclesiasticis aliisque maioribus, ac sibiipsis sufficientibus*, alia quàm quæ ibi recensentur festa *in suis Ecclesiis, & Capellis solemniter venerandi* copia daretur. Cur sub finem constitutionis præscriptæ adderetur: *Intimetis etiam subditis vestris*, &c. Quantumuis ergo nulla nominatim festa designet quæ constitutione sua cohibeat Concilium Maghfeldense, nonnulla tamen ab eo coërceri fatebuntur vltro, qui in modò laudata vocabula coniecerint oculos, eáque attentis animis expenderint. Et sanè memoratos in Oxoniensi Synodo, quam Stephanus Langtonius Archiepiscopus Cantuariensis anno MCCXXII. habuit festos dies Conuersionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, S. Gregorij Parasceues, S. Augustini, Anglorum Apostoli, Decollationis S. Ioannis Baptistæ, S. Margaretæ, S. Petri ad vincula, S. Martini, S. Edmundi Confessoris, & S. Edmondi, Regis, & Martyris, ac S. Clementis reticet Maghfeldense Concilium. Recensitas in Synodo Vvigorniensi coacta an. MCCXL. à Vvaltero de Catilupo Vvigorniensi Episcopo, Cantuariensis Archiepiscopi Suffraganeo celebritates depositionis S. Vvolstani, Conuersionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, Depositionis S. Osvvaldi, S. Petri ad vincula, & S. Martini:

Non

Non meminit Maghfeldenſe Concilium, ſicut neque feſta S. Trinitatis & Reliquiarum celebrata in Eccleſia Salisburienſi, quemadmodum teſtatur eadem Vvigornienſis Synodus. Recognita à Synodo Exonienſi, anno MCCLXXXVII. ſub Petro Quiuil, Exonienſi Epiſcopo, Cantuarienſi itidem Archipræſuli ſuffraganeo, feſta Conuerſionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, S. Gregorij, S. Georgij, S. Ioannis ante portam Latinam, S. Auguſtini, primi Anglorum Apoſtoli, S. Petri ad vincula, Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ; S. Martini, S. Katarinæ, & Natiuitatis Domini per VIII. dies, prætermittit idem Maghfeldenſe Concilium, idipſum quoque præſtat apud Spelmanum in tomo II. Conciliorum orbis Britannici, Simon Islip. Cantuarienſis Archiepiſcopus Statuto dato *apud Maghfeld. XVII. Kalendarum Auguſti, anno Domini MCCCLXII. & ſuæ conſecrationis XIII. Quod quia Concilij Maghfeldenſis conſtitutionem tantùm redintegrat, paucis admodum verbis immutatis, hoc referendum non duximus, ne actum ageremus.*

CAP.



## Caput XXXVI.

*Michaël de Creney Episcopus Antissiodorensis maximam festorum suæ diœceseos partem resecuit.*

ILlustre præterea est imminutionis festorum exemplum apud Nicolaum Clemangium in sæpius citato *De nouis celebritatibus non instituendis* libro, vbi de Michaële LXXXIV. ( vt Sammarthani fratres scribunt in Gallia Christiana ) vel LXXXV. ( vt vult Chenutius in historia chronologica Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ ) Antissiodorensium Episcopo ista tradit : *Annus ecce quartus agitur, ex quo pia ac sanctæ memoriæ Michaël Antissiodorensis episcopus ex hac luce ad Christum feliciter migrauit, cui in magna deuotione & abstinentia & multis caritatis operibus viuens seruierat. Is aliquot annis ante suum obitum, propter detestabiles insolentias quas in diebus festis fieri videbat, & propter aliam quamdam causam iustissimam, quam posterius, Christo propitio, commemorabo, majorem longè partem dierum festorum synodalibus in illa diœcesi edictis coli consuetorum, à coarctatione obseruantiæ, piâ motus consideratione relaxauit, salutarius esse existimans, Deóque & sanctis acceptius vineam putare, aut propagines ducere, quàm iuerti*

*incerti torpendo otio, crapulæ & ingurgitationi ceterisque maleficiis superiùs explicatis insistere. Nam sicut illud est verum jejunium quod Dominus elegit, non tam ab escis carnalibus quàm à peccato abstinere, cùm non nisi propter vitanda peccata sit ab epulis abstinentia indicta: ita ille est verus & dignus solemnitatis cultus, Deo sanctisque gratissimus; si non tam à corporali labore, quàm à peccato & crimine sit feriata solemnitas, cùm propter sananda vulnera peccatorum, gratiámque Dei sanctorum patrocinio comparandam sint festi dies obseruari mandati. Denique quid congruentius per opus seruile, quod diuinâ lege in solemnitatibus fieri prohibetur, quàm peccatum intelligitur? Quæ enim tam vilis seruitus quàm peccato seruire? de qua seruitute dictum est:* Qui facit peccatum seruus est peccati. *Non autem vir ille optimus, de quo nobis sermo est, Dominicæ diei celebritatem, quæ tempore catholicæ religionis sabbati, obseruationi diuinitus institutæ succedit, abolendam putauit, quod nec certè poterat: illas, quantum sibi visum est sufficere, festiuitates remisit, quas suos in illa diœcesi prædecessores nouerat instituisse, quia id scilic. pro temporum populique moribus saluti animarum sibi creditarum, cuius magnus erat zelator, certissimè profuturum credidit. Quid illum de nouis instituendis festiuitatibus sensisse credimus, qui veteres & probatissimas & ante hominum memoriam obseruatas, subtrahendas curauit. Non ignorabat autem pius ille episcopus, bonas & Deo deuotas personas in sua vrbe ac diœcesi esse, singulari sibi amicitiâ valde familiares, quarum absit vt salu-*

*tem*

*xiâ mente ingemiſcunt. Perſpicuum eſt igitur nullum præiudicium, nullum ſuæ deuotionis impedimentum ex ſubducta feſtorum numeroſitate bonis adferri, ſed plurimam proficiendi materiam tribui.*

Hæc prior ratio eſt quâ permotum Michaëlem Antiſſiodorenſem epiſcopum vt feſta temperaret, ſcribit Nicolaus Clemangius, poſteriorem nunc accipe.

*Nota res eſt vniuerſis regni huius incolis, nota etiam exteris nationibus, quantis vectigalium oneribus regni ipſius populus vrgetur, quantis præterea armatorum rapinis affligitur, qui vſque adeo vniuerſa prædantur atque diripiunt vt infeliciſſimis agricolis iugi labore & inſtantiâ deſudantibus, vix, non dico ſimilagineus, ſed ater & ſiligineus panis ad miſerabilem trahendam vitam relinquatur. Nam de veſtitu quidem quid loqui attinet, cùm ſaccos, quibus iam vulgò induuntur, niſi mediâ ſint vetuſtate conſumpti, in mediâ etiam hyeme auferant. Taceo de moleſtiis quas clientes inferunt, quas Eccleſiaſtici apparitores, quas illi qui vulgari nomine captores vocantur, non toto à raptoribus nomine, ſed ſolâ dumtaxat literâ differentes qui vina, frumenta, auenas, boues, arietes, vitulos & quidquid frugum, pecorum, altilium aut prouentus attulit, aut cura educauit, inuitis extorquent; & quamquam omnia vili pretio accipiant, pro ipſo tamen pretio ſine ſpe pretij perſoluendi, ſchedam papyream plerumque relinquunt: Quid rogo inter has & alias infinitas oppreſſiones, quas vix aliquis enumerare ſufficeret, nouas nunc populo eſurienti feſtiuitates imponere*

*imponere conuenit, qui si nullas omnino veteres obseruare cogeretur, sed omni posset impune tempore operari, violentiæ atque importunitati extortorum non ad centesimum satisfacere sufficeret? Ista est res quæ cum superioribus causis illum Dei virum, cuius supra memini, ad redigendas in exiguum numerum sanctorum in sua diœcesi celebritates incitauit; quæ vtinam ceteros episcopos ad similiter faciendum simili modo posset impellere. Compatiebatur pius pater caritatis visceribus adfluens, miserorum calamitati filiorum, & quibus poterat subsidiis eis subueniebat, ut si propter immanitatem temporum nihil illis imposterum reseruare liceret, continuo saltem labore vitam diurnam, quamuis ærumnosam, possent transigere. Videbat illos omnibus indifferentes prædatoribus expositos, nihil aliud habere posse nisi quod dietim suo labore lucrarentur. Nam quid aliud habere possunt quibus sua noui quotidie raptores auferunt? videbat, quo die non operarentur, multos jejunio & inediæ conficiendos. Quibus amarissimis incommodis non commodiùs occurri posse existimauit, quantum quidem ex ipso erat, quàm si libertatem illis operandi raràsque ferias agendi permitteret. Non abstulit ille festa in Ecclesiis illius diœcesis celebrari solita, cum eorum cultum ac celebritatem in Ecclesiis ipsis prisco semper de more agi voluerit. Nihil ille in ordinario variauit, regulámque officiandi, non antiqua Ecclesiarum statuta dissoluit, aut morem perturbauit; sed ipsam solummodo exteriorem feriationem propter legitimas & grauissimas causas à vulgo subduxit, vel (vt conuenientiùs dicamus) pro morum & temporum iniquitate ad suum & posterorum suorum arbitrium suspendit.*

Vtrum

Vtrum feſtos ſuæ diœceſis dies in Synodo imminuerit Michaël Antiſſiodorenſis epiſcopus an ſolus ipſe, nullâ Synodo coactâ, ex his Clemangij verbis non liquet; neque video quomodo ex toto ipſius *de nouis celebritatibus non inſtituendis* tractatu poſſit innoteſcere, factum id in Synodo fuiſſe. Quare ſuſpecta admodum mihi fiunt illa Matthiæ Flacci Illyrici verba in Catalogo teſtium veritatis temporum ſuperiorũ contra Papam pag. DXIX. *Floruit certè ducentis abhinc annis Michaël Altiſſiodorenſis Archiepiſcopus. Is, (vt Nicolaus Clemangius in ſuo libello de nouis feſtis teſtatur) congregatâ prouinciali Synodo pleraque feſta aboleuit.* Nam neque Michaël ille fuit *Archiepiſcopus* ſed epiſcopus *Altiſſiodorenſis*; neque Clemangius libellum ſcripſit *de nouis feſtis*, ſed *de nouis celebritatibus non inſtituendis*; neque *Prouincialem Synodum* à Michaële *congregatam* demonſtrari poteſt ex Clemangio. Etſi enim congregatam ab eo Synodum concederemus, (quod tamen ex Clemangio non adparet) non tamen illa merito poſſet *prouincialis* appellari, ſed diœceſana tantùm. Prouinciales enim Synodos habendi poteſtatem penes Archiepiſcopos ſeu Metropolitas eſſe, vel ipſe Caluinus ita confitetur in lib. IV. Inſtitut. cap. VII. §. VIII. *Quantum ad Synodos conuocandas hoc erat Metropolitæ cuiuſque officium, vt prouincialem Synodum ſtatis temporibus cogeret.* At Antiſſiodorenſem Pontificem neque Archiepiſcopum eſſe conſtat, neque Metropolitam. Quis autem fuerit ille Michaël Antiſſiodorenſium

Antiſtes.

antiſtes & quo tempore vixerit ac obierit, ex laudatâ Sammarthanorum fratrum Galliâ Chriſtianâ dignoſcitur, in qua id habent de ipſo in epiſcoporum Antiſſiodorenſium ſerie: *Michaël de Creney Trecenſis, ex Magiſtro Artiſtarum collegij Nauarrici & theologo eiuſdem domûs, Confeſſarius Regis Karoli* VI. *recenſetur Epiſcopus Antiſſiodorenſis iam ab anno* MCCCLXXXX. *in regiſtris cameræ computorum. Adfuit Translationi S. Ludouici* MCCCLXXXXII. *& conſilio regio* MCCCLXXXXV. *Philippus Burgundus Comes Niuernenſis pro Baronia Donziaci iuramentum clientelare ipſi profitetur* I. *ſept.* MCCCCVII. *Eius meminit Nicolaus de Clemangis vir doctus, in libro de feſtiuitatibus nouis non inſtituendis, cui dicatum fuit philoſophicum compendium Iacobi Magni Auguſtinenſis, auctoris Sopholegij, qui Archiepiſcopatum Burdegalenſem recuſauit. Deceſſit Michaël* XIII. *Octobris, an.* MCCCCIX. *ſepultúſque apud Carthuſianos Pariſienſes ſub tumulo marmoreo.*



CAPVT



# CAPVT XXXVII.


*Laurentius Campegius, Cardinalis Legatus à latere, & Stephanus de Poncher, Senonensis Archiepiscopus, in Concilio Prouinciali Senonensi, peculiaria de rescindendis aliquot festis diebus statuta emisere.*

ANNO MDXXIV. Laurentius Campegius, S.Anastasiæ Cardinalis, in Germaniam, Hungariam Bohemiam, & Poloniam Legatus, (vt vocant) *à Latere*, Constitutionem, & *Ordinationem* edidit Ratisbonæ *ad remouendos abusus, & Cleri vitam reformandam*, in cuius statuto xx. festorum dierum multitudinem sic coërcet: *Nec abs re, imò iustis de causis abducti, Festorum multitudinem constringendam esse adduximus, statuentes & ordinantes, vt de catero Dominica dies, qua in gloriam Dominica Resurrectionis ad nos vsque à primitiua Ecclesia, maximè celebris semper habita est; dies quoque Natiuitatis Christi, S. Stephani, Ioannis, & Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniorum, Pascha cum feria* II. *&* III. *dumtaxat, Adscensionis, Georgij, Pentecostes, cum feria* II. *&* III. *dumtaxat, Corporis Christi, & præsertim quatuor B.Virginis, Purificationis, Adnuntiationis, Adsumptionis, & Natiuitatis, Natalia Apostolorum, Joannis Baptista, Magdelena*

*mus ex nimia festorum multiplicatione populum otio & vaniloquio illis diebus deditum, ebrietatibus comessationibus, ludis, & lasciniis, magis quàm rei diuinæ, orationibus, & contemplationi vacare, & pauperes, & plebeios indè multùm grauari, eósque cum sua familia sæpe mendicare: idcirco festa, vulgò operum manualium seu brachiorum dicta, infrà scripta & iuxta formam sequentem à præcepto Ecclesiæ excludimus & reuocamus, ea deuotioni populari, quoad cessationem ab opere seruili committentes, & Ecclesiarum parochialium rectoribus, & eorum Vicarijs nostrarum ciuitatis, & Diæcesis Senonensis mandantes, ne præmissa festa populo solemnizari & feriari præcipiant; quinimò diebus Dominicis immediatè huiusmodi festa præcedentibus in pronis Missarum parochialium intiment, insinuent, & declarent suis Parochianis, quòd illis diebus, negotiis seruilibus, & operibus manualibus liberè vacare, & illa exercere poterunt. Festa autem dicta brachiorum, quæ ad populi deuotionem remittuntur, adnotari, & infrà scribi sequenti ordine iussimus. In Ianuario, festum Vincentij Martyris, Conuersio S. Pauli. In Iulio, Visitatio beatæ Mariæ. In Augusto, Petri ad vincula, Transfigurationis Domini. In Mense Octobri, Francisci Confessoris, Lucæ Euangelistæ. In Mense Nouembri, S. Katarines. In Mense Decembri, festum Sanctorum Innocentium Subscripta item mobilia non fiant, III. dies post Pascha, III. dies post Pentecosten. Ne autem cultus diuinus, quem augere cupimus diminuatur, præfatis Ecclesiarum parochialium Rectoribus districtè præcipimus, ne Missas, & alia diuina Officia ab antiquo illis diebus fieri solita, omittere audeant, in omittentes grauiter animaduersuri.*

*Cùm nonnulla festa supra adnotata quæ brachiorum vulgo dicebantur, ab obseruantia & Ecclesiæ præcepto reuocauerimus, & abrogauerimus, eáque deuotioni populi commiserimus, id nos fecisse omnes intelligant, tum suprascriptis causis, tum vt reliqua festa quæ sub obseruantia & præcepto remanserunt, cum maiori celebritate, veneratione, & deuotione obseruentur. Moueant itaque Ecclesiarum Rectores suos Parochianos, vt illis diebus easdem Ecclesias frequentent, orationibus insistant, Deum & Sanctos quorum solemnia aguntur, piâ mente & deuoto affectu venerentur & colant. Verbum Domini seu prædicationes vigilanter & attentè audiant. Cessent his diebus ludi, choreæ, commessationes, ebrietates, vaniloquia, lasciuiæ, ab omni vitio abstineatur. Cessent diebus illis, & maximè Dominicis, & festo Adsumptionis beatæ Mariæ Virginis, nundinæ publicæ, fora, seu mercatus, nec placita exerceantur. Quod si qui contra hanc nostram, imò veriùs iuris diuini prohibitionem, nundinas, aut placita illis diebus tenere præsumpserint, curent vigilanter Ecclesiarũ Rectores, seu eorum Vicarij sub pœna emendæ arbitrariæ, præmissa nobis aut Officiarijs nostris referre, vt super illis de remedio prouideri possit opportuno.* Concilium illud prouinciale, Senonense anno MDXXIV. coactum scripsi ex Laurentij Bochelli fide sic censentis in lib. IV. decret. eccles. Gall. tit. VII. cap. XLI. atque etiam Ioannis Chenutij hæc scribentis in historia chronologica Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ, in serie Archiepiscoporum, Senonensium: *Ordinationes Synodales edidit* Stephanus de Poncher *ad cleri sui reformationem an-*

m. MDXXIV. *quo anno moritur.* Nam & anno Domini MDXXI. atque ideo ſub Stephano de Poncher, quem Chenutius *Eccleſiam rexiſſe* XLII. *annis* teſtatur, alterius Concilij Prouincialis Senonenſis, in quo feſta quoque imminuta ſunt, mentionem faciunt Conſtitutiones Synodales Diæceſis Carnotenſis, à Ludouico Guillardo Carnotenſi Epiſcopo *congeſta, edita & publicata in ſua Synodo generali anno Domini* MDL: *menſe Octobri.* Sic enim habent in tit. *de feſtorum obſeruatione.* pag. LXIII. verſæ initio: *hic iuniores aduertant, alia feſta Sanctorum ad deuotionem populi eſſe, & fuiſſe in vſu longè ante dictum Concilium Prouinciale celebratum anno Domini* MDXXI. Vel itaque falluntur Bochellus & Chenutius; vel Carnotenſis Diæceſis conſtitutiones Synodales; vel in duplici Concilio Prouinciali Senonenſi, altero an. MDXXI. altero an. MDXXIV. de feſtorum dierum diminutione ſtatuta publicata ſunt. Quod poſtremum & moderatiùs adſeuerabitur, & Synodalium Diæceſis Carnotenſis Conſtitutionum, Bochelli, ac Chenutij fidem atque authoritatem non elenabit.



## Capvt XXXVIII.

*Synodus Carnotensis, & Senonensis Archiepiscopatus Suffraganei eorumque vicini pontifices, nonnullos dies festos profestos haberi statuerunt.*

Anno Christi MDXXVI. Carnotensis Synodus, Prouincialis Concilij Senonensis mandato obsecundans, festa quædam olim in diœcesi Carnotensi imperatas, his verbis reuocauit: *Sanctorum memorias multis & optimis rationibus Ecclesia celebrat & pro illorum honore tam in vniuersum, quàm sigillatim festos dies & clero & plebi successiuè olim indixit, iúsque festorum violatum vindicauit. Sed vel refrigescente nunc Christicolarum deuotione, vel nimiâ festorum multiplicatione, seu (quod verius est, crescente in dies plebeiorum, qui multi sunt, præsertim in nostra diœcesi, paupertate, alij otio, vaniloquio; ebrietatibus, comessationibus, ludis & lasciuiis se dedunt; alij peregrinationibus, negotiationibus quæstuariis & curis sæcularibus, magis quàm rei diuinæ, orationibus, contemplationi aut quieti vacant, alij denique cum multâ prolis, vernaculorum mercenariorúmque familia sæpe mendicant. Eas ob caussas nos commissi nobis gregis saluti prouidere cupientes, eumdémque benigno affectu (vt pastoris munus est) pro viribus subleuare, etiam decretum*

*Concilij*

*Concilij prouincialis* Senonensis *in hac re exsequentes, & tam vicinarum quàm comprouincialium diœceseum morem iam à multis annis assuetum imitati, festa vulgò operum manualium seu brachiorum dicta, infra & iuxta formam sequentem à præcepto Ecclesiæ excludimus & reuocamus, ea deuotioni populi, quoad cessationem ab opere manuali & seruili, committentes. In Ianuario, Fabiani & Sebastiani, Vincentij martyris, Conuersionis S. Pauli. In februario, cathedræ S. Petri. In mart. Leobini episcopi Carnotensis. In aprili, Georgij martyris. In majo, Inuentionis S. Crucis Ioannis ante portam Latinam, Coranni martyris. In junio, Geruasij & Protasij. In iulio, translationis S. Martini episcopi & confessoris, Arnulphi episcopi & martyris. In Augusto, Petri ad vincula, Inuentionis beati Stephani proto-martyris, Decollationis S. Ioannis Baptistæ. In Septembri Ægidij & Lupi, Exaltationis S. Crucis, Leobini episcopi & confessoris. In octobri, Dionysij, Rustici & Eleutheri. In nouembri, Clementis Papæ & martyris. In Decembri, Ss. Innocentium.*

*Mandamus omnibus Ecclesiarum parochialium nostræ diœcesis Rectoribus, ne præmissa festa populo solemnisari & feriari præcipiant. Quin imò diebus Dominicis immediatè huiusmodi festa præcedentibus in pronis missarum parochialium intiment, insinuent & declarent suis parochianis, quòd festa ex superiùs descriptis quæ in hebdomadâ occurrent, sunt relicta ad eorum deuotionem, & quod illis diebus possunt, si velint, negotiis seruilibus & operibus manualibus liberè vacare & illa exercere.*

*Non intendimus tamen per hanc nostram consti-*

*tutionem quidquam detrahere aut diminuere de cultu diuino & sanctorum officio, quæ augere potiùs cupimus quantum possumus. Propterea præfatis Ecclesiarum parochialium rectoribus districtè præcipimus, ne missas & alia diuina officia ab antiquo in illis festis manualibus & aliis diebus antiquitus ex deuotionè populi pro consuetudine, fieri solita, omittere audeant. Imò volumus quod adnuntient in pronis Ecclesiarum, quamuis prædicta festa extra præceptum sint, piè tamen facturos eos qui illa seruauerint, illis diebus se feruentiùs diuino cultui mancipantes, quique Ecclesiam tunc frequentauerint diligentiùs se à contagio vitiorum seruantes.*

*Et vt congruam interpretationem statuto de festis manualibus ad deuotionem populi redactis, subjungamus, censemus missas debere dici illis diebus altas vel bassas, secundum quod cantorum copia vel eorumdem defectus postulabunt. Præcipimus autem & iubemus majora festa totius anni sine opere aliquo diligenter & sedulò ab omnibus obseruari. Et quilibet in sua parochia festa Patronorum & Dedicationis Ecclesiarum etiam ab omni opere obseruabit. Monemus etiam Ecclesiarum rectores, quatenus suos parochianos hortentur, vt festa, quæ in præcepto sunt, eo majore celebritate, veneratione & deuotione, quo pauciora sunt & rariora, obseruent, vt & illis diebus Deum & sanctos, quorum festa aguntur, pia mente & deuoto affectu venerentur & colant, verbúmque Domini seu prædicationes diligenter & attentè audiant.*

Synodum illam anno MDXXVI. celebratam scribit Bochellus in lib. IV. Decret. Eccles. Gall. tit. VII. cap. XLIII. Eandem tamen constitutio-

nem

nem iiſdem prope verbis contextā inuenio in Conſtitutionibus Synodalibus diœceſis Carnotenſis, à Ludouico Guillardo, Carnotenſi epiſcopo, qui præceptore vſus eſt Iodocò Clithoueo, anno MDL. in Synodo diœceſana euulgatis; cum eo diſcrimine quòd heic primùm abrogata feſta quædam videantur, quæ in præfatis Conſtitutionibus Synodalibus ante Concilij Prouincialis Senonenſis an. MDXXIV. ac proinde ante Synodi Carnotenſis an. MDXXVI. celebrationem erant antiquata. Illud ex verbis Conſtitutionum patebit, quæ ſic leguntur: *Adnotationes feſtorum quæ antiquitus & ante Concilium prouinciale erant & ſunt ad deuotionem populi. Fabiani & Sebaſtiani*, XX. *Ianuarij. Vincentij mart.* XXII. *Ianuarij. Cathedræ S. Petri*, XXII. *Februarij. Georgij martyris*, XXIII. *April. Inuentionis S. Crucis*, III. *Maij. Coranni martyris*, XXVIII. *Maij. Tranſlationis S. Martini*, IV. *Iulij. Arnulphi*, XVIII. *Iulij. Exaltationis S. Crucis*, XIII. *Sept. Leobini*, XVI. *Sept. Clementis* XXIII. *Nouembris.* Adduntur poſtea hoc modo quæ à Synodo Carnotenſi reſciſſa ſunt: *Adnotationes feſtorum quæ nuper erant de præcepto ab opere manuali, & in Concilio prouinciali excluſa ſunt, & remiſſa deuotioni populi. Conuerſionis S. Pauli* XXV. *Ian. Leobini Carnotenſis epiſcopi*, XIV. *Martij. Ioannis ante portam Latinam*, VI. *Maij. Geruaſij & Protaſij* XIX. *Iunij. Petri ad vincula*, I. *Auguſt. Inuentionis S. Stephani*, III. *Aug. Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ* XXIX. *Aug. Ægidij & Lupi*, I. *Sept. Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij*, IX. *Octob. SS. Innocentium*, XXVIII.

*Decemb. Mercurij post Pascha; Mercurij post Pentecostes.*

Festos quoque dies ad pauciorem, quàm antea fuerant, numerum redactos cùm à Suffraganeis Archiepiscopatui Senonensi Episcopis, tum ab eorum vicinis Pontificibus, ex his Synodi Carnotensis modo laudatæ vocibus manifestum est: *Nos decretum Concilij Prouincialis* Senonensis *nouissimi in hac re exsequentes, & tam vicinarum quàm comprouincialium diœceseon morem iam à multis annis assuetum imitati, festa vulgo operum manualium seu brachiorum dicta, infra & iuxta formam sequentem à præcepto Ecclesiæ excludimus & reuocamus, ea deuotioni populi, quoad cessationem ab opere manuali & seruili committentes.*





## CAPVT XXXIX.

*Paulus* III. *Romanus Pontifex, Christophorus Augustanus Episcopus, Synodus Augustana sub Othone Cardinali & Episcopo Augustano, Ioannes Treuirensis Archiepiscopus, Ludouicus à Barbonio Cardinalis & Archiep. Senonensis Ludouicus à Guisia Cardinalis & Archiepiscopus Remensis, Germanus Valens, Guellius Aurelianensis Pontifex, & Reginaldus de Beaulne Bituricensis Archipræsul, festa quædam antiquauere.*

ANno *Incarnationis Dominicæ* MDXXXVII. *Kalendis junij*, *Pontificatûs* sui *anno* III. Paulus III. Romanus Pontifex Bullam scripsit Romæ apud S. Petrum, *Venerabilibus fratribus vniuersis Episcopis occidentalis & meridionalis Indiæ*, in quâ Bullâ cùm paucos admodum dies festos occidentalibus & meridionalibus Indis præcipiat obseruandos, multos alibi gentium agitatos, censendus est rescidisse. Sic autem habet: *Dies in quibus eos volumus à seruilibus operibus cessare, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Natiuitatis, Circumcisionis, Epi-*

*phaniæ, Resurrectionis & Adscensionis ac Corporis eiusdem Domini nostri Iesu Christi, & Pentecostes, necnon Natiuitatis, Adnuntiationis, Purificationis & Adsumptionis gloriosæ Dei genitricis Virginis Mariæ, ac eiusdem beati Petri & Pauli eius coapostoli, ceteros verò dies festos ex causis supra dictis, illis indulgemus.* Causæ his verbis adferuntur: *Nos sanctissimorum Apostolorum qui nobis verbo & exemplo pastoralis officij formam tradentes, nascentis Ecclesiæ infantiam lacte, prouectam verò eius ætatem solido cibo nutrierunt, vestigiis inhærendo, nouellas plantationes ipsius Ecclesiæ quas in dicta occidentali & meridionali India Altissimus plantare dignatus est, sic donec coalescant, vt non omnia quæ per orbem Ecclesia iam firmata custodit, illis custodienda mandemus, sed tanquam paruulis in Christo aliqua paterno affectu indulgeamus, confouere. Circa abstinentiam ab illis suscipiendam etiam statuimus quod in vigilia Natiuitatis & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & omnibus Sextis feriis quadragesimæ jejunare teneantur. Ceteros verò jejuniorum dies eorum beneplacito propter nouam ad fidem eorum conuersionem permittimus.* Si igitur Paulus III. Indis meridionalibus & occidentalibus multorum festorum obseruationem subtraxit, quòd & paruuli essent & ad fidem Christianam recens conuersi: cur non etiam hodie multorum festorum obseruatione eximi possent Christiani, festorum otio malè vtentes, diaboli potius quàm Dei festa celebrantes, nimiâ festorum multitudine oppressi? an dispar est in vtrisque imminuendorum festorum necessitas? Indi nondum erant in fide confirmati, fateor equidem. At quis in fide

confirmatos putet qui eo ritu festa concelebrant, cuius vel Gentiles ab omni prorsus fide alienos puderet; qui festis diebus suis potiùs cupiditatibus improbis seruiunt quàm Deo? Pauca igitur imperari festa satiùs esset, illáque debito cultu frequentari, quàm multa, sic profanâ obseruantiâ peragi, quandoquidem quo pauciora essent, eò pauciora etiam à prauis Christianis peccata admitterentur. hanc Pauli III. Bullam, quæ incipit, *Altitudo diuini consilij*, refert in tomo VIII. Annalium Minorum Lucas VVaddingus, Hibernus Menapiensis ad annum Christi MDXXXVII. num. VI. ex Registro ordinis.

Laurentij S. Anastasiæ Cardinalis, & Apostolicæ sedis legati Constitutioni apud Ratisbonam editæ morem gerens Christophorus Augustanus Episcopus, anno MDXXXIX. Mandatum publicauit, quod postea comprobatum est ab Othone tituli sanctæ Balbinæ Cardinali & episcopo Augustano, in Synodo Augustana ad diem XII. Nouembris an. MDXLVIII. conuocatâ & continuo triduo celebratâ; quo mandato festa quædam tacitè amputantur. Damus illud integrum ex cap. XXIV. Actorum eiusdem Augustanæ Synodi: *De diebus festis feriandis nihil innouare volentes, præcipimus vt festiuitates Christi, ac beatæ Mariæ Virginis, aliorúmque sanctorum, iuxta constitutionem & ordinationem per quondam felicis memoriæ Christophorum Episcopum Augustensem prædecessorem nostrum, desuper factas & diuulgatas, quarum tenor subinseritur, deinceps celebres habeantu*:

*Christophorus Dei gratiâ Episcopus Augustanus, dilectis nobis in Christo, Decano & Camerario capituli in N. salutem in Domino.*

Licèt superioribus annis constitutiones in particulari conuentu Ratisbonæ habito per sedis Apostolicæ Legatum factas, per totam Diæcesim nostram publicari fecerimus: ad aures tamen nostras peruenit quod hæ constitutiones & præsertim quoad obseruantiam dierum festiuitatum ab aliquibus vestris capitularibus plebanis inæqualiter obseruentur. Ex quo multi emergunt errores in diuini cultûs contemptum & scandalum plurimorum. Vnde nos, sicuti nostro incumbit officio, huiusmodi erroribus in futurum obuiare cupientes, festa in Diœcesi nostrâ celebranda hîc inseri fecimus. Videlicet statuimus, ordinamus, & volumus, vt & cætero Dominica dies quæ in gloriam Dominicæ Resurrectionis ad nos vsque à primitiua Ecclesia maximè celebris semper habita est, dies quoque Natiuitatis Christi, S. Stephani, Ioannis & Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschæ cum feria 2. & 3. tantum, corpus Christi, IV. festa B. Mariæ Virginis, nempe Purificationis, Adnuntiationis, Adsumptionis & Natiuitatis, Natalitia Apostolorum, Ioannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentij, Dedicationis Michaëlis, omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, Catharinæ, Hulderichi, atque

Affiæ

Afræ patronorum nostrorum, sicuti hactenus obseruati fuere, celebres quoque & festi habeantur, Mandantes insuper vobis, vt festa iam specificata obseruetis, & à Parochianis vestris obseruari faciatis. In cæteris autem festiuitatibus quacumque ratione vel institutis vel receptis, cuique liberum permittatis. Datum in nostro castro Dilingensi an. à Natiuitate Domini MDXXXIX.

Quod enim de diminuendis festis diebus agant duo illi Augustani Episcopi, inde perspicuum est, quoniam ad Laurentij S. Anastasiæ Cardinalis constitutionem in cap. XXXVII. memoratam sesè student conformare, quemadmodum Christophorus initio literarum suarum exponit; & ita quidē, vt quæcumq; in ea præcipiūtur propemodū festa præcipiant, iisdemque verbis præcipiant. Cùm itaque Laurentius Cardinalis de festis quibusdam resecandis statuerit vtrumque etiam Episcopum illum statuisse quis vnquam negauerit? Et verò rescinduntur ab ijs Conceptionis B. Mariæ Virginis, Euangelistarum Lucæ & Marci, & alia solemnia, quæ per reticentiam intelligimus vniuersè his verbis: *In cæteris festiuitatibus quacumque ratione vel institutis vel receptis, cuique liberum permittatis.*

Anno MDXLIX. Ioannes Archiepiscopus Treuirensis in Concilio Treuirensi II. decretum istud *de moderandis feriis* emisit. *Numerum festorum creuisse admodum videmus, sed calentem fidelium deuotionem frigescere, eóque ventum esse, vt bona pars hominum omnia festa negligat, idque*

*impunè, nec sine Ecclesiæ dedecore. Pauperes, qui non habent vnde alant vxores & familiam, clamant omnem ferè cessationem damnosam sibi esse. Operæ pretium proindè nobis visum est festorum numerum contrahere, quo & effrenes coërceantur, & aliquid detur necessitati pauperum. Itaque hæc festa omninò celebria esse volumus, & pro Pastorali nostro Officio solemniter celebranda mandamus, præcipimus. Dies Dominicos omnes, festum Natiuitatis Christi, Stephani; Ioannis, & omnium Apostolorum., Circumcisionis, Epiphaniæ, & Purificationis, Adnuntiationis, Adsumptionis, Natiuitatis Virginis Mariæ, Pascha cum duobus sequentibus, Adscensionis, Pentecostes cum sequentibus, Corporis Christi, Ioannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentij, Crucis, Michaëlis, omnium Sanctorum, Martini, Catrinæ, Andreæ:* Nicolai, *Thomæ. Et in ciuitate nostra Treuirensi hæc festa Patronorum, Maximini, Simeonis, Visitationis, Helenæ, Paulini, Translationis Martini, & Eucharij, & in singulis ciuitatibus, oppidis & Parochiis; Dedicationis festa & patrocinia celebrari mandamus. Caterùm dies Innocentium, Cinerum, Parasceues, Cœnæ Dominicæ, Sabbati magni, Marci, tres Rogationum, commemorationes Animarum, & omnes reliquos dies stationum, quos Ecclesia nostra Treuirensis in diebus aliorum Patronorum, vel specialibus Rogationibus, ab antiquo introductis in ciuitate nostra Treuerensi vel eius suburbio obseruat; vsque in meridiem feriari volumus, ita vt facto sacro, cuique ad labores aut negotia sua redire liceat.*

Anno MDLIV. Ludouicus Episcopus Prænestinus; Cardinalis à Borbonio Archiepiscopus

pus Senonensis in Concilio Senonensi, Stephani de Poncher Archiepiscopi quoque Senonensis decreta in prouinciali Synodo, anno MDXXIV. promulgata, renouauit, atque ideo eadem festa & iisdem verbis rescidit quæ in cap. XXXVII. recensentur. Quare à Cardinalis Borbonij Statuto referendo lubenter supersedemus, ad alia properantes.

Synodales Remensis Ecclesiæ constitutiones ante annum MDLXXX. editæ hunc festorum dierum κατάλογον nobis repræsentant, quem in in cap. XXIV. exscripsimus ex Laurentij Bochelli lib. IV. Decret. Eccl. Gall. tit. VII. capit. XII.

Anno deinde MDLXXXV. Ludouicus Cardinalis à Guisia Remensis Archiepiscopus ad vsum omnium Ecclesiarum Remensis Prouinciæ, publicam emisit in lucem *Sacerdotale*, seu *agenda*, vel *Manuale*, (vt appellat,) cui *festorum in ciuitate & Diœcesi Remensi per totum annum ab omnibus operibus celebrandorum*, seriem præfixit, ex qua patet festos dies aliquot vel omnino, vel mediâ tantùm sui parte, imminutos illorum qui fuerant in Synodalibus Constitutionibus apud Bochellum commemorati. Synodales enim Constitutiones S. Hilarij, S. Annæ, S. Ludouici, S. Lucæ Euangelistæ, S. Bricțij, & S. Clementis, solemnia feriatis temporibus adnumerant; ea verò reticet prorsus Cardinalis Guisianus. Addunt Constitutiones Synodales. *In festis Conuersionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, B. Petri ad vincula, Decollationis B. Ioannis Baptistæ, Translationis S. Remigij, S. Nicasij, S. Thomæ Cantua-*

*tuariensis & S. Syluestri, opera non fiant manualia, sed his diebus vadat populus ad Ecclesiam, Matutinas, Missas & Vesperas, ob Dei reuerentiam, & Sanctorum reuerenter auditurus.* De his omnibus, ne verbum quidem Cardinalis Guisianus in Manuali. Constitutiones Synodales *Inuentionis,* & *Exaltationis sanctæ Crucis, B. Mariæ Magdalenæ, B. Michaëlis Archangeli, S. Dionisij, B. Martini, B. Nicolai, & SS. Innocentium* festos dies totos & integros edicunt obseruandos: Cardinalis autem Guisianus *ab omnibus operibus vsque post Missam* tantummodo.

Germanus Valens Guellius, Aurelianensis Episcopus, cuius elogium scripsit in elog. lib. II. Scæuola Sammarthanus, an. MDLXXXVII. die Mercurij post festum Pentecostes, Synodo apud Genabum coacta festos dies aliquot amputauit, vt ex iis verbis constat in titulo de festorum obseruatione: *Multitudo festorum onerosa est, multùm tenuis fortunæ hominibus, qui cùm his diebus ab opere cessare iubentur, egere, aut mendicare compelluntur. Hinc etiam factum est, vt plerique assuescerent his diebus otiositati, inertiæ, crapulæ, blasphemiis, ludis illicitis & lubricitatibus. Propterea existimamus conducibilius & laudabilius futurũ, si aliquot festorum obseruationem reponamus in arbitrio & deuotione vniuscuiusque fidelis à præcepto Ecclesiæ excludentes. Ne autem cultus diuinus vllo modo imminuatur, ordinamus vt Missæ & seruitia quæ in diebus festis sublatis solebant fieri, ita in Ecclesia fiant, quemadmodum antehac solita erant fieri, neque aliquid immutetur, nisi aliter ex causa statuendum esset propter interesse Curatorum.* Po-

stea verò recensitis festis quæ vocat *ex præcepto* subdit. *Alia autem festa quæ in Kalendariis Breuiariorum continentur, præcipuè ea quæ antiquitùs sub præcepto erant Ecclesiæ, adnuntient Curati in Pronis Ecclesiarum, declarantes quod quamuis extrà præceptum sint; piè tamen ac sanctè facturos eos qui illa seruauerint, illis diebus se feruentiùs diuino cultui mancipantes, & diligentiùs à contagio vitiorum seruantes.*

Antequam Senonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Galliæ & Germaniæ Primas, ac magnus Franciæ Eleemosynarius fuisset renunciatus, Reginaldus Beluensis, ex Episcopo Mimatensi Biturigum Archiepiscopus, Patriarcha, & Aquitaniæ Primas factus, Sanctorum Vrsini, Guillelmi, Sulpitij, & Inuentionis S. Stephani festa, per vniuersam Bituricensem Diœcesim antea celebrata, in ciuitate Bituricensi solùm agi præcepit, quemadmodum auctor est Carolus Guietus in lib. II. heortologias, cap. XIX. quæst. IX. his vocibus: *Biturigibus ablata sunt per Diœcesim ante LX. annos à Domino Reginaldo de Beaulne Archiepiscopo, & restricta ad ciuitatem dumtaxat festa S. Vrsini, S. Guillelmi, S. Sulpitij ac Inuentionis S. Stephani.*

CAP.



## CAPVT XL.

### *Vrbanus VIII. summus Pontifex festos dies imminuit.*

ANNO MDCXLII. sanctissimus doctissimúsq; Romanorum Pontifex Vrbanus VIII. multorum Archiepiscoporum & Episcoporum orbis Christiani postulatis adnuens, constitutionem edidit Idibus Septembribus, quâ ferias vniuersâ Ecclesiâ agitandas, desectis pluribus definiuit. Huic autem constitutioni euulgandæ locum fortasse aliquem dedisse arbitror Ioannis Caramuelis, inter ætatis nostræ Casuitas laxiores & pestilentiores nominatissimi, epistolas aliquot Romam scriptas ad amicos; vtcumque res ferat, hoc ita gestum narrat in Theologiæ fundamentalis fundam. 211. §. 11. cuius hæc verba sunt: *Multa olim vidi in Belgio ob festorum nimiam multitudinem facta, quæ sine lacrymis recenseri non possent. Sumpsi calamum & generalia aliqua motiua aliquibus amicis agentibus Romæ proposui, orauique vt dignarentur Vrbanum VIII. informare. Vnius epistolæ copiam adiungo.*

[Non pauca sunt, illustrissime Præsul, quæ sanctissimus Dominus noster scire omnino deberet, quæ haberent remedium procul dubio, si vel semel esset aliquis qui sincerè narraret. Proponam aliquid, & si mea monitio

videatur grata fuisse, plura olim suggeram, vt saltèm conscientiæ meæ & tuo mandato satisfaciam. A solemnitatibus igitur exordium sumam & sincerè proferam quid obseruauerim. Video mechanicos in Belgio viros abuti Ecclesiæ clementiâ, aut ab Episcopis affligi, aut si malueris, perdi. In ditionibus regi subiectis præter Dominicas & solemnes beatæ Virginis, Apostolorum & aliorum cælitum dies, sunt ciuitatum Dedicationes, victoriarum festiuæ commemorationes, & ipsæ tam frequentes, vt magnam anni partem occupent. In Batauicis verò præter Dominicam, nulla festiuitas. Cùm sint igitur hæreticæ & Catholicæ ciuitates confines, hoc singulis diebus video, hoc experior miseri homines qui vxore & familia grauantur, quatuor diebus victum pro septem lucrari non possunt, ideóque in rebelles Ciuitates suffugiunt, vt ibi plus lucrantes, commodiùs victitent, aut opulentiùs. Ex hac fuga quatuor mala oriuntur necessariò. I. Regem Catholicum vassallos perdere. II. Crescere hostium numerum. III. hostes illos ditescere. Transfugarum enim nobis manufacta venduntur, & nostra pecunia à nobis trãsuehitur in Batauiam, vt contra nos & Ecclesiam Catholicam militet. IV. eos, vtpote profugos, sub initium solemnitatum numerum detestari, mox Sanctorum cultum irridere, & tandem in Caluinianismum labi. Cùm igitur hæ iacturæ valde frequentes sint, petitur quid debeant prudentes in talibus miseriis constituto consulere? Vt laboret etiam die

diebus festis, si consulam, respondebit se secretò & impunè hoc non posse, maximè cùm debeat plerumque in domibus diuitum operari qui hoc non permittent. Ergo videtur ad supremum Ecclesiæ tribunal recurrendum, petendúmque, vt declaret omnes illos, qui actualiter non habent pecunias, sufficientes vt victitent, posse diebus festis operari. Dominatio vestra vtatur hoc consilio, vti voluerit; ego tamen sine lacrymis videre non possum, festiuitatum numero homunciones, aliàs bonos Catholicos, ad rebellionem & Caluinismum quotidie abigi; & si possem remedium aliquod ponere, crederem me peccaturum esse grauiter, si festorum numerum non minuerem. Vale. *Erat prudens, Vrbanus, & ab aliquibus hanc rem admonitus paucis mensibus post, diploma edidit in quo aliquas solemnitates abstulit.*

Atque hoc est Vrbani VIII. diploma, quod hic totum & integrum adscribo.

*Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam vniuersa per orbem nouit Ecclesia Romani Pontificis supremæ incumbere solicitudini dominicum gregem ad æternam dirigere salutem, & Apostolica sic explicare præcepta, vt fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant feliciter peruenire. Plurimorum siquidem venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad nos peruenit, festorum multitudinem per singulas eorum Diœceses atque prouincias adeò creuisse, deuotione atque consuetudine noua in dies introducente, vt multi iam dubitare vide*

videantur quænam ex præcepto, quæve ex libera cuiusque voluntate sint seruanda, pietatis feruore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente. Quin imò & clamor pauperum frequens adscendit ad nos, eandem multitudinem ob quotidiani victûs laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valdè damnosam conquerentium, & (quod summopere dolendum est) magno cum animi nostri mœrore didicimus tanta sæpe sæpius malignatum inimicum in sancto, vt ipsa multitudine non ad ædificationem & ad laudandum in Ecclesiis Deum, populi vtantur, sed ad otia, vanitates & vitia frequenter abuti non formident; ita vt quæ ad glorificandum diuinum nomen, sunt primitùs instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem grauémq; iacturam conuerterit animarum. Quamobrem dicti venerabiles fratres Archiepiscopi & Episcopi nobis fecerunt humiliter supplicari, vt in prædictis de Apostolica potestatis plenitudine, congruam aliquam iniremus rationem. Nos itaque volentes ex debito pastoralis officij prouidere, & sanctificationis festorum, certum deinceps firmare præceptum, antiquam Ecclesiæ in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos piósque viros, quos ad hæc specialiter deputauimus, consultationibus, (vt rei videbatur grauitas postulare) motu proprio & ex certa scientia meráque deliberatione nostris, necnon de prædicta Apostolica plenitudine potestatis, hac perpetuò valiturâ constitutione, de voto etiam venerabilium nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum, Apostolica auctoritate decernimus & declaramus infra scriptos dumtaxat dies pro-

*festus ex præcepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacrauit antiquitas, vel vniuersalis Ecclesiæ probauit consuetudo, vel omnium gentium vnanimis pietas veneratur: Dominicos scilicet dies totius anni, Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, sanctissimæ Trinitatis, solemnitatis Corporis Christi, & Inuentionis S. Crucis: necnon festiuitatum Purificationis, Adnunciationis, Adsumptionis & Natiuitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomæ, SS. Philippi & Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis & Iudæ & S. Matthiæ, Christi Domini Apostolorum. Item S. Stephani protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentij Martyris, S. Siluestri Papæ & Confessoris, S. Iosephi etiam Confessoris, & & S. Annæ Deiparæ respectiuè sponsi ac genitricis, solemnitatis omnium Sanctorum atque vnius ex principalioribus Patronis in quocumque regno siue prouinciâ, & alterius pariter principalioris in quacumque ciuitate, oppido vel pago, vbi hos patronos haber & venerari contigerit. Ad reliquorum verò dierum obseruantiam, quos hactenus siue in vniuersa Ecclesia, siue in quauis natione aut regno, prouincia, Diœcesi, aut loco quomodocumque, siue ex præcepto, siue ex consuetudine, siue ex deuotione Christi fideles tanquam festiuos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri, dicta authoritate tenore præsentium perpetuò etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies festos à locorum ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum*

im

*importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem ordinarios in Domino monemus, vt ad Ecclesiasticam vbique seruandam aqualitatem, de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub pracepto nouorum festorum studeant abstinere. Vt verò ea qua superiùs expressa sunt, feruentiori, quâ decet, veneratione ac deuotione colantur, eisdem ordinariis antiquorum Canonum obseruantiam ad memoriam reuocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis. Qua quidem licentia non aliter quàm ad formam pradictorum Canonum, vt pramittitur, concedenda, non nisi gratis, liberè & sine vllo prorsus pretio aut pacto, directè vel indirectè concedantur, sub pœnis etiam grauioribus nostro successorúmque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram constitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu & terminis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem. Mandantes propterea in virtute sancta obedientia, & sub indignationis nostra pœna, nunc & pro tempore existenti nostro in vrbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, ac vniuersis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Pralatis, ac vniuscuiusque generis locorum ordinariis, etsi Cardinalatûs honore fulgeant, vt has prasentes literas, omniáque & singula in eis contenta, singuli videlicet in eorum respectiuè diœcesibus, publicent & ab omnibus eorum subditis ad vnguem obseruari faciant, non obstantibus quibusuis Apostolicis, etiam in Prouincialibus, Synodalibus & vniuersalibus Conciliis editis & edendis, specialibus*

*bus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, ac singularum prouinciarum, ciuitatum, oppidorum & locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus longissimo tempore præscriptis ac obseruatis, etiam immemorialibus, priuilegiis quoque, indultis, decretis, declarationibus & literis Apostolicis aliisque gratiis tam per ipsos Romanos Pontifices prædecessores nostros ac nos etiam motu simili, etiam consistorialiter, quàm per ordinarios locorum cuiuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, vt præfertur, fulgentes, legatos etiam de latere, & sedis Apostolicæ nuntios, ipsis prouinciis, ciuitatibus, oppidis & locis, aliisque quibuscumque etiam quantumuis priuilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum aut aliorum Principum contemplatione vel intuitu, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, adprobatis, & innouatis, quibus omnibus & singulis, etsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ obseruatâ, inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè & sufficienter insertis habentes, motu, scientiâ & potestatis plenitudine paribus, harum serie specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem vt earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis & manu*

*manu notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique locorum, tam in iudicio, quàm extra illud, adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incar. Dominicæ* MDCXLII. *Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno* XX.

Hoc diploma *Fuisset ab omnibus receptum.* (inquit Caramuel in prænotato loco) *Nisi duo essent quæ obesse viderentur. Alterum, tolli festa quæ populi deuotio iudicabat præcipua: nam Bruxellis multùm adlaborare debui vt Hispanorum conscientias turbatas aut etiam irritatas sedarem. Habet hæc gens erga Marianam Conceptionem deuotionem innatam, nec pacificè audire volebant expungi tantam festiuitatem. Alterum addi noua festa. Non enim videbantur pauperes iuuari hoc diplomate, fuit enim nuda festorum commutatio, quæ esse ablatio deberet.*

CAPVT

*cultum attinent, sed & quæ ad Deiparæ Virginis Sanctorúmque venerationem referuntur. Ea propter in rescindendis aliquot diœceseos nostræ festis diebus hæsimus animo ancipiti; adeo vt nullum ea de re decretum ediderimus cùm nostrum Ritualem librum typis mandari curauimus. Postea autem toto eiusmodi negotio in postrema Synodo nostra diligentiùs expenso, aduocatísque in consilium capituli nostri Canonicis aliisque tam sæcularibus, quàm regularibus Clericis animaduertimus ob temporum calamitatem operarios omnis generis, quamquam aliàs Religiosos & pios, necessitate tamen pressos, festa violare sæpissime, vnde fit, vt vel sanctissima contemptui habeant, vel conscientiæ stimulis torqueantur. E re itaque & sollicitudine nostra, necnon è Dei, atque Ecclesiæ obsequio esse duximus, hisce incommodis mederi. Idcirco festos dies infrà positos singulis ferè mensibus rescidimus, ab eorúmque obseruatione nostræ fidei creditos populos absoluimus. Strictè tamen præcipientes & Ecclesiæ & nostrâ ipsius auctoritate, vt alia omnia festa, cum Dominicis diebus sanctis diligentissimè agitent; Dei viuentis nomine admonentes, nisi religiosiores se sacrorum festorum cultores præbeant, nullam ab eo laborum suorum benedictionem percepturos. Quod ab Ecclesiarum Parochialium* Rectoribus *palàm ac publicè intra Missarum solemnia enuntiari volumus. Hinc Decanis nostris mandamus, vt hocce decretum nostrum sibi subiectis insinuent, illiúsque exemplar ad ipsos deferri curent. Datum Sagij in palatio nostro Episcopali, die Septembris* XIX. *an.* MDCL.


## *Festa in Diœcesi Sagiensi rescissa.*

In Ianuario, *S. Fabiani, & S. Sebastiani ac Conuersionis S.Pauli.*
In Martio, *S.Thomæ Aquinatis.*
In Aprili, *S. Opportunæ.*
In Maio, *Inuentionis S. Crucis.*
In Iunio, *S. Barnabæ.*
In Iulio, *Visitationis S. Virginis & S.Mariæ Magdalenæ.*
In Augusto, *Transfigurationis.*
In Octobri, *S.Lucæ.*
In Decembri, *Translationis S.Geruasij.*

*Item aliorum omnium Translationum, quæ in particularibus quibusdam Ecclesiis aguntur, quarum tamen officium minimè prætermittetur.*

*Minus etiam præcipuorum Patronorum festa, in Dominicas dies sequentes rejiciuntur.*

*Dynastas præterea omnes siue Ecclesiasticos, siue laïcos adhortamur, vt in crastinam feriarum Patronis dicatarum diem, nundinas refundant, publicósque mercatus.*



## CAPVT XLII.

*Cùm certum sit Episcoporum Iuris esse festa imminuere, & priuilegiatos ad festorum suæ Diœcesis imminutionem seruandam compellere, posse id à Pontificibus siue in Synodo, siue extra Synodum præstari ostenditur: & quid sit propriè festa imminuere, demonstratur.*

ERgo ex postremis octo capitibus certum, atque indubitatum est posse Episcopos in suis quosque Diœcesibus, festos dies imminuere, quotiescumque eos fideli populo, rei familiaris angustiâ laboranti, aut etiam copiis circumfluenti, vel malè celebrari, vel ad scandalum aliquod aperire fenestram animaduertunt. Sed & Episcopi quoque possunt priuilegiatos ac Regulares (vt appellant) & quotquot eorum priuilegiis seu exemptionibus, subjacent, vt huicce festorum imminutioni obsecundent, adstringere. Si enim Priuilegiati & Regulares omnes, quas in suis Diœcesibus agi præcipiunt Ecclesiæ Præsules, ferias tenentur obseruare, secundùm illa Remensis Concilij Prouincialis, sub Ludouico à Guisia Card. & Archiep. Rem. an. MDLXXXIII. vocabula, quæ

EtBertrandus Argentræus in æthiologia de reformandis causis ad art.I.tit. I. consuetudinum generalium prouinciæ & Ducatus Britanniæ, an. MDLXXX. reformatarum, Diœcesanæ Synodi conuocationem ad contrahendas ferias necessariam esse perscribunt. Polydorus Virgilius in VIII. cap.lib. VI.de rerum inuentoribus, & Desiderius Erasmus in chiliadibus ad cent. VI.chil.II.§.XII.festos dies ab Episcopis minui exoptant; at quâ ratione, non exponunt. Petrus Faber Roquayrolsius in conclus. forensibus, conclus. III. festorum imminutioni potiùs quàm incremento consulere debere Episcopos secundùm Ecclesiasticam disciplinam testatur: quænam autem sit eiusmodi Ecclesiastica disciplina, non explicat. Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, qui hac nostra ætate festos dies quosdam amputauere, soli eos & absque Synodo (quod sciam) amputauere. Clemens VIII. apud Ossatum in epist. CLXXI. festorum resectionem penes Episcopos esse respondit; in Synodo, an extra Synodum, non respondit. Atque hæc ita cùm se habeant, quocumque modo curetur festorum diminutio, modò curetur ab Episcopis, solis, aut in frequenti Synodo constitutis, valere illam receptus Ecclesiæ vsus contestatur. Raro siquidem in Conciliis generalibus; sæpe in Prouincialibus; sæpius in Diœcesanis; aliquando ab Episcopis sine vlla Synodi congregatione, de festorum dierum imminutione edita sunt decreta. Basileensis Episcopus Haito in capitularis sui capp. VII. & VIII. *Sacros Pascha dies qui septeno nu-*

*mero vel præcedunt vel sequuntur* ab Imperatoribus Valentiniano, Theodosio & Arcadio in cap. *omnes dies*, festis adnumeratos, ad nouem reduxit extra Synodum. Ægidium de Bridport Sarum Antistitem, cuius de festis rescindendis constitutionem refert an. MCCLVI. euulgatam, Spelmanus in tomo II. Conciliorum orbis Britannici, ad imminuenda festa Synodum vllām coëgisse non legimus. Simon Islip Cantuariensis Archiepiscopus, Maghfeldensis quidem Concilij statutum de contrahendis festis renouauit, sed non ideo Synodum habuit. Non habuit quoque sanctissimus Antissiodorensis Episcopus Michaël de Creney, cuius honorificam mentionem facit in libro de nouis celebritatibus non instituendis Nicolaüs Clemangius, quantumuis habuisse tradat Lutheranus Matthias Flaccus Illiricus in Catalogo testium veritatis temporum superiorum contra Papam, pag. DXIX. Non habuit Paulus III. Romanus Pontifex Occidentalibus & Meridionalibus Indis obseruandos festos dum præstituit, nostris Solemnibus numero longè pauciores. Non habuit Christophorus Augustanus Episcopus Laurentij S. Anastasiæ Cardinalis de festorum dimintione constitutioni concinens literis datis in castro Dilingensi an. Domini MDXXXIX. Non habuit denique Vrbanus VIII. Ecclesiasticarum feriarum numerum illustri illâ *vniuersâ per orbem* Bullâ dum temperauit. Nihil itaque causæ est cur quis idcirco nostrorum temporum Gallicanos Pōtifices incusandos, culpandósque existimet, quod festos dies aliquot suarū Diœcesium,

cesium, proprio motu, nulláque Synodo conuocatâ sustulerint.

Illi porro id genus festa cùm resciderunt, frequentari in Ecclesiis consueta eorum officia, rescidisse censendi non sunt; Quia enim sapienter adornata & sapienter instituta sciunt Ecclesiæ officia, retinenda quoque illa summo studio, diligentissimè excolenda, & quàm maximâ fieri potest pietate à Christianis populis obseruanda, nedum abolenda atque eliminãda procul, statuerunt. Et verò quis illa absque maximo piorum hominum, imò & totius Ecclesiæ Catholicæ scandalo, è medio tollenda suaderet? Intacta igitur festorum imminutorum officia perseuerant; verùm quæ fidelibus populis imperatur in eorum celebrationibus, operum ac laborum remissio, libera relinquitur, & vt cuique placitum fuerit, amplectenda, vel non amplectenda. Atque hoc est quod Michaëlem Antissiodorensem Episcopum in festorum suæ Diœcesis imminutione fecisse ait in libro de nouis celebritatibus non instituendis Nicolaüs Clemangius. Non abstulit ille (inquit) *festa in Ecclesijs illius Diœcesis celebrari solita, cùm eorum cultum ac celebritatem in Ecclesiis ipsis prisco semper de more agi voluerit. Nihil ille in ordinario variauit, regulámque officiandi, non antiqua Ecclesiarum statuta dissoluit, aut morem perturbauit, sed ipsam solummodo exteriorem feriationem, propter legitimas & grauissimas causas, à vulgo subduxit, vel (vt conuenientiùs dicamus) pro morum & temporum iniquitate ad suum & posterorum suorum arbitrium suspendit.* Non aliter se gessisse Pontifi-

ces nostros ex ijs decretis liquet, quæ de festorum dierum amputatione, tribus abhinc annis edixere. Obuia cuilibet cùm sint, atque ad manum, ea heic exscribere, necesse non arbitror. Illud tantùm profiteri non verebor, Gallicanos præsules & innumerorum operariorum egestati consuluisse, & vitandi otij rationes comparandique quotidiani panis vias subministrasse, & peccandi occasiones pluribus eripuisse, & vt festa quæ superabunt religiosiùs sanctiúsque celebrentur, hac sapienti ordinatione suâ in posterùm præuidisse.



## Capvt XLIII.

### *Noua imminuendorum festorum ratio producitur ex Ioanne Caramuële.*

Mirus in explicandis moralis Theologiæ nodis artifex Ioannes Caramuel, miram sibi videtur imminuendorum festorum rationem excogitasse, dum in Theologiæ fundamentalis fundam. LII.§.II. ita scribit ad Romanum quendam Præsulem: *Gaudeo (vir illustrissime) tibi persuasum esse nimium festorum numerum reipublicæ nocere Christianæ. Sed quia ab eo qui designauit morbum, medicinam requiris, respondeo, si à sanctissimo Domino consuleres, sic fore dispositurum Kalendarium. Desiderarem omnes & solos*

*solos dies Dominicos festos esse & vix alios. Sed quid de sanctorum cultu agendum? edisseram. Relinquerem Natiuitatis, Paschatis, Adscensionis Pentecostes, & Sanctissimæ Trinitatis dies vbi iacent. Non enim vellem mobilium festorum regulas alterare. Conseruarem quadragesimales Dominicas & per reliquas distribuerem Apostolos, Euangelistas & alios omnes sanctos quorum dies obseruamus. Vterer igitur duplici Kalendario; altero fixo; altero mobili, quod tamen fixum haberet ordinem solemnitatum. Ideam vtriusque pono.*

Kalendarium Dominicale & Sanctorale, omnia festa mobilia continens.

*Dominica Septuagesimæ. Fiat de illâ officium prout in breuiario.*
*Dominica Sexagesimæ.*
*Dominica Quinquagesimæ.*
*Feria* IV. *Post hanc ipsam Dominicam, dies Cinerum.*
*Dominica* I. *Quadragesimæ.*
*Dominica* II. Reminiscere.
*Dominica* III. Oculi.
*Dominica* IV. Lætare.
*Dominica* V. *Passionis.*
*Dominica* VI. *Ramorum.*
*Dominica* VII. *Pascha. Dies sequentes non sunt festiui, sed licet feria* II. & III. *laborare.*
*Dominica* I. *post Pascha*, Quasimodo *dicta.*
*Dominica* II.
*Dominica* III.
*Dominica* IV.

*Dominica* v.

*Feria* v. *post Dominicam* v. *Adscensio Domini.*

*Dominica* vi.

*Dominica* vii. *Pentecostes completur vnâ die & feria* ii. *&* iii. *operantur mechanici.*

*Dominica* viii. *sanctissima Trinitas.*

*Feria* v. *post Dominicam* viii. *Solemnitas corporis Christi.*

*Dominica* ix. *sancta Maria.* i. *lectio sit de Conceptione,* ii. *de Natiuitate &c. itavt per omnes lectiones vita Angelorum reginæ distribuatur.*

*Dominica* x. *Omnes Sancti. Officium, quod etiamnum habetur, potest legi.*

*Feria* ii. *Post hanc ipsam Dominicam, Commemoratio omnium fidelium defunctorum.*

*Dominica* xi. *Omnes Angeli.* i. *Lectio sit de Angelis,* ii. *de Archangelis &c. itavt in singulis agatur de singulis choris.*

*Dominica* xii. *Omnes Apostoli. Quia apud Benedictinos & Cistercienses sunt* xii. *lectiones, singulæ singulis poterunt correspondere. Verùm in officio Romano debebunt bini in aliquibus lectionibus celebrari, vt omnium commemoratiô fiat.*

*Dominica* xiii. *omnes Euangelistæ. In* i. *nocturno erunt lectiones de duobus, & de aliis duobus in* ii.

*Dominica* xiv. *Omnes Martyres.*

*Dominica* xv. *omnes SS. Pontifices.*

*Dominica* xvi. *omnes SS. Doctores.*

*Dominica* xvii. *omnes SS. Confessores.*

*Dominica* xviii. *omnes SS. Virgines & viduæ.*

*Dominica* xix. *Transfiguratio Domini.*

*Dominica* xx. *Sancta Crux.*


*Dominica* XXI. *S. Michaël.*
*Dominica* XXII. *S. Ioachimus & S. Anna,*
*Dominica* XXIII. *S. Ioannes Baptista.*
*Dominica* XXIV. *SS. Petrus & Paulus.*
*Dominica* XXV. *SS. infantes Innocentes.*
*Dominica* XXVI. *S. Stephanus.*
*Dominica* XXVII. *S. Laurentius.*
*Dominica* XXVIII. *S. Augustinus,*
*Dominica* XXIX. *S. Benedictus.*
*Dominica* XXX. *S. Bernardus.*
*Dominica* XXXI. *S. Norbertus.*
*Dominica* XXXII. *S. Franciscus de Assisio.*
*Dominica* XXXIII. *S. Franciscus de Paula.*
*Dominica* XXXIV. *S. Theresia.*
*Dominica* XXXV. *S. Ignatius.*
*Dominica* XXXVI. *S. N. Religionis N. fundator.*
*Singulæ religiones quæ, nondum habuerunt sui fundatoris festum, hoc illum die concelebrent, & quem voluerint sæculares.*
*Dominica* XXXVII. *Dedicatio Ecclesiæ.*
*Dominica* XXXVIII. *Patronus aliquis.*

Festa mobilia tantummodo in hoc nouo Kalendario erunt hæc.

*Decembris* XXV. *Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.*
*Ianuarij* VI. *Epiphania.*
*Dominica post Epiphaniam.*
*Si inter Dominicam* XXXVIII. *post Pascha, in qua secundi Patroni est solemnitas, aliqua vel aliquæ intersint Dominicæ, huius Dominicæ post Epiphaniam officium recitatur: retinere poterimus Ka-*

*lendarium commune, & distinguendo inter natiuitatem & festiuitatem hanc poterimus die dominica & illam die currente siue, sollemnitate celebrare.*

*Hac est, illustrissime Vir, Kalendarij idea, iuxta quam & cultui Sanctorum satisfit & lucrandi panem suum quotidianum relinquitur tempus mechanicis. Plerique ex ipsis sunt stupidi, & majoris commoditatem, minoris fidem & religionem faciunt. Vnde si festorum pluralitas sit eis incommoda, mallent Lutherani aut Caluinistæ esse, quàm hanc perpeti incommoditatem.*



## Capvt XLIV.

### *Inuenta à Caramuële noua festorum imminuendorum forma multis argumentis euertitur.*

APerta quidem & facilis est illa Caramuëlis festorum dierum contrahendorum via; sed multis tamen rationibus videtur improbanda.

I. enim & antiquum & recentiorem totius Ecclesiæ vsum perturbat. Nam festos dies quo tempore vel peracta credit Religionis nostræ mysteria, vel terris aut cælo nati sunt Sancti, & antiquitùs celebrauit, & nunc quoque celebrat Ecclesia. *Ipsa* autem *mutatio consuetudinis*, (inquit S. Augustinus in epist. cxviii. ad Ianuarium) etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat; Quapropter quæ vtilis non est per

perturbatione infructuosa consequenter noxia est.

II. Dum ait : *Dominica* XXXVI. *Singulæ Religiones quæ nondum habuerunt sui fundatoris festum, hoc illum die celebrent, & quem voluerint sæculares :* Monachis, Monialibus & sæcularibus viris instituendorum nouorum festorum copiam videtur facere. Quo quid ab Ecclesiæ disciplina alienum magis : Quo quid à S. Bernardi Cisterciensis instituti, quod Caramuël professus est Restauratoris mente magis dissonum? Lugdunenses Canonicos si grauiter olim incusauit pater ille sanctissimus in epist. CLXXIV quod inconsultâ sede Apostolicâ nouam Conceptionis B. Mariæ celebritatem agitassent : quid Caramuëli faceret Monachis, Monialibus & sæcularibus viris nouorum festorum ediscendorum facultatem concedenti ?

III. Omnia Deiparæ Virginis festa, vult vnica die obseruari, videlicet Dominica IX. post Pascha; sicque plura beatæ Mariæ solemnia resecat; & tamen addit alia, vt S. Augustini, S. Bernardi & ceterorum disparis prorsus ab ijs venerationis in Ecclesia. Tollendi potius videbantur eiusmodi Cælitum memoriæ sacri dies, & quibus illi celabrantur, in Dominicas refundenda præcipua sanctissimæ Virginis festa. Ita enim & à lectionibus, & ab oratione & ab omni Dominicæ IX. post Pascha officio abfuisset confusio, quam vix, ac ne vix quidem effugiet quantumuis ingeniosus nouarúmque disputandi artium architectus Caramuel.

IV. Probatam & longæuo multorum sæculorum vsu confirmatam in Ecclesia legendi aliquid è Scripturæ sacræ libris in officio matutino consuetudinem euertit, susquedeque. Dominicâ enim IX. post Pascha in matutino festi Deiparæ Virginis officio, I. lectionem dicendam scribit de Conceptione, 2. de Natiuitate & ita de reliquis; Dominica XI. lectionem I. ordinat de Angelis, II. de Archangelis, &c. ita vt in singulis agatur de singulis choris. Dominicâ XII. quæ de Apostolis omnibus est, quia apud Benedictinos & Cistercienses sunt XII. lectiones: singulas singulis posse correspondere, ait: verùm in officio Romano debere binos in aliquibus lectionibus celebrari, vt omnium commemoratio fiat Dominica XIII. in I. Nocturno statuit esse lectiones de duobus Euangelistis, & de aliis duobus in II. & Dominicis quinque sequentibus? ita eum officia collocare probabile fit, vt singulis Dominicæ XXV. lectionibus omnium Martyrum; Dominicæ XV. omnium Sanctorum Pontificum; Dominicæ XVI. omnium Sanctorum Doctorum, Dominicæ XVII. omnium Sanctorum Confessorum; & Dominicæ XVIII. omnium Sanctarum Virginum, ac viduarum, præcipua quædam & eximia gesta, omnibus cælestium eiusmodi ordinum Sanctis communia decernat recitanda. Hæc porrò omnia quis nisi prætermissis sacræ Scripturæ lectionibus exequatur? Quis si velit exequi, in eum errorem non inciderit, quem in libro de nouis celebritatibus non instituendis tantopere exagitat eo modo Nicolaus Clemangius

gius? *Quid aliud videtur esse ab Ecclesia sacrarum lectionem Scripturarum relegare, quàm domûs Dei fundamenta conuellere, Catholicis omnibus alimenta subtrahere, turrim legis fidei, salutis propugnacula demoliri? Qualiter autem hac tempestate in ipsa legatur sacer canon diuinæ legis, satis manifestum est. Vix librorum sola capita inchoantur, nec vltra primam plerumque pagellam proceditur. Scio cathedralem* Ecclesiam *in regno isto, in qua cùm Sanctorum gesta, Doctorum sermones atque homiliæ à capite ad calcem integrè recitentur, vbi ad lectionem ventum est sacræ* Scripturæ, *lector de singulis lectionibus vix 4. lineas explet. Adeo ex desuetudine & indeuotione sacra in fastidium ministris Ecclesiasticis venerunt eloquia. Et tamen sicut oleum fomes lucernæ est, sine quo illa continuò extinguitur, ita non solùm prædicationis quæ ad actiuam Ecclesiasticorum vitam pertinet, verùm etiam meditationis & contemplationis, quæ ad speculatiuam fomes est, crebra lectio diuinorum librorum, quæ homini sua fœda monstrat, suos defectus & profectus ostendit, quæ quasi quibusdam stimulis animum perfodit, à prauis deterret, ad recta impellit, charitatem ingenerat, humilitatem infundit, pietatem inserit, amorem virtutum omnium insinuat. Quæ cùm ita sint, improbanda valde videtur illa consuetudo, quâ in omnibus ferè Ecclesiis Canonicalibus ad cuiuslibet etiam laïci petitionem nouæ quotidie Sanctorum celebritates instituuntur, modo temporalis inde emolumenti aliquid proueniat. Nam vltra ea quæ præmissa sunt de Dei expulsione, sacræque historiæ abolitione, corrumpuntur antiquæ Ecclesiarum obseruationes, priscus ritus, vetera statuta*

*tuta violantur, corrumpuntur libri ordinarij & noua in dies abrasiones in illis fiunt, detractiones, additiones, lituræ, abolitiones. Et quid tam leue, tam inconstans, tam turpe & ridiculosum, quàm suum quotidie ordinem peruertere, suum morem mutare, suam formam deformare, suam regulam nouâ regulâ, imò noua irregularitate variare?* Quæ omnia vtique euenirent, si Caramuëlis opinationi foret assentiendum. Sed & quàm ab Ecclesiæ institutis abhorrens sit officio diuino sacrarum Scripturarum lectionem depellere, indicat abundanter. Ratio tertia quâ adducti fuerunt Sancti Patres vt Clericos ad Breuiarij recitationem compellerent, quámque his verbis explicat in Breuiarij à se constituti præfatione Cardinalis Quignonius: vt Religionis futuri Magistri quotidianâ sacræ Scripturæ & Ecclesiasticarum historiarum lectione erudiantur, complectantúrque, (vt Paulus ait) eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem & potentes sint exhortari in doctrina sana & eos, qui contradicunt, arguere.

V. Cùm animus Caramuëli fuerit festos dies imminuere, eorum augere atque amplificare numerum non debuit. Auxit tamen atque amplificauit. Addit enim Transfigurationis Christi, sanctæ Crucis, SS. Infantium Innocentium & S. Ioachimi, ac S. Annæ solemnia, tanquam vbique locorum celebranda, quæ tamen vbique locorum in Ecclesia iam non celebrantur. Addit præterea SS. Augustini, Benedicti, Bernardi, Norberti, Francisci de Assisio, Francisci de Paulâ, Theresiæ, Ignatij, & Religiosi ordinis cuiuslib. auctoris festos dies, qui nullibi ferè, nisi in

monasteriis quorum Patroni sunt, atq; instituto-res illi SS. peraguntur. Dië cinerum adijcit feriâ IV. post Dominicam quinquagesimæ, quem aut nullis omnino, aut paucis in locis feriatum scimus. *Deinde addit commemorationem omnium fidelium defunctorũ totâ feriâ.* II. post Dominicam x. post Pascha agitandam; quam tamen commemorationem è festorum dierum albo expunctam videmus & à Ioanne Archiepiscopo Treuerensi in Concil. Treuerensi II. & ab Vrbano VIII. Romano Pontifice in Bulla, *Vniuersa per orbem.* Postremò breuiùs consuluisset festorum imminutioni Caramuël si Dominica x. post Pascha, omnium Sanctorum festa imperare satis habuisset; Neque enim in XXVII. Dominicas sequentes aliorum cælitum festos dies reijcere opus esset, sed tantùm Dominicâ aliâ quâuis, Dedicationis Ecclesiæ festum constituere: cùm Sanctorum omnium nomine illi omnes intelligantur, quos in præfatis XXVII. Dominicis postea enumerat. Reuocatis quoque ad Dominicam XI. post Pascha Angelorum omnium: ad XII. Apostolorum omnium: ad XIV. omnium Martyrum: ad XV. omnium SS. Pontificum: ad XVI. omnium SS. Doctorum: ad XVII. omnium SS. Confessorum, atque ad XVIII. omnium SS. Virginum & viduarum, celebritatibus; non oportuit Caramuëlem postea, SS. Michaëlis, Ioachimi, Annæ, Ioannis Baptistæ, Petri & Pauli, Innocentium, Stephani, Laurentij, Augustini, Benedicti, Bernardi, Norberti, Francisci de Assisio, Francisci de Paula, Theresiæ, Ignatij, & cuiuscunque religiosi ordinis fundatoris festa subiungere, quæ sub vniuersali

omnibus Angelis, atque hominibus beatis variæ ſortis, diuersíque inter ſe generis feſto ſunt comprehenſa. Si enim (vt comminiſcitur Caramuel) vnâ & eâdem die B. Virginis, vnâ, & eâdem die Euangeliſtarum IV. feſta omnia agenda veniunt, quare etiam vnâ & eâdem die non agentur, omnium Angelorum, Apoſtolorum, Martyrum, Pontificum, Doctorum, Confeſſorum, Virginum, & Viduarum feſta? Quæ ſi eo celebrentur modo, Dominicæ quibus ea peragi vellet Caramuël, nullo alio officio impeditæ remanebunt, quod Eccleſiæ Catholicæ conſilium eſt.


VI. Cùm omnia Sanctorum feſta ad Dominicas dies referat Caramuël, eorúmque feſtorum omnium, vel quæ minus ſolemni minúſque præcipuo in Eccleſia cultu celebrantur, officia Dominicis diebus fieri conſtituat; ſanè prætermittendum autumat Dominicæ diei officium quod dimitti ſecundùm Romanam conſuetudinem, cui plerique adhæreſcunt Catholici, non poſſe, niſi ob illuſtrem celebritatem aliquam teſtatur Micrologus in lib. de obſeruationibus Eccleſ. cap. LXII. cuius eſt titulus: *De Dominicali officio non facile prætermittendo*, vbi ait, *iuxta Romanam conſuetudinem in omni Dominica Eccleſiaſtico Conuentui ſit, cùm Officio Dominicæ ſatisfacimus, niſi aliqua multùm celebris feſtiuitas in ipſa die occurrat, vt feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, vel S. Petri Apoſtoli, pro quibus non minus quàm pro Dominica populus ſolet congregari, quas & in alijs diebus ſolemniſſimè celebramus.* Ac proinde, etiamſi aliqua feſta poſſint in Domini

nicas dies transferri, & Dominicis diebus celebrari, non continuò efficitur posse omnia, sed ea solummodo quæ & præcipua sunt & maxima. Vnde si quando occurrat in die Dominica insigne festum aliquod, multi sunt qui vbi per tempus licet & otium, insignis illius festi iuxta atque diei Dominicæ officia diuisim celebrant. Testem habemus huiusce obseruationis non contemnendum, anonymum scriptorem Præfationis quæ libris Amalarij Fortunati Treuerensis Episcopi de Ecclesiasticis officiis, præfigitur, ita loquentem: *Iuuat multos, quando tempus vacat lectionis & psalmodiæ atque ceterarum orationum, seorsum Sacramenta celebrare de Dominicis diebus, & seorsum de festiuitatibus sanctorum.* Adeo illi Dominicæ diei officium verentur non persoluere, quod sciunt omnium celeberrimum, veterrimum, absolutissimum. Quod si ita se gessere viri multi pietate suâ commendabiles, quid nunc si ad Caramuelis arbitrium noua festa, eáque nec præcipua, nec illustria, Dominicis diebus agerentur, dicturi essent, nisi quod Radulphus à Riuo in libri de Canonum obseruantia, propos. VI. sub finem sic ait: *Quòd verò infideles etiam & pagani immutationes antiqui cultûs similiter non admittebant, qui legata ad modo illicitos & insuetos conuerti statuerunt in modos licitos & honestos vt in lege ciuili FF. de vsufru. legat.* L. Legatum. *Hac sæcularis lex confundit nostrates, qui noua festa componunt quæ in præjudicium temporalis officij non est licitum obseruare.* Sed clariùs multo atque ad institutum

noſtrum magis appoſitè mentem ſuam eâ de re aperit idem Radulphus à Riuo in propoſ. xv. vbi legas : Conſtituite diem ſolemnem, *ſcilicet Dominicum* in frequentationibus (*Ita habet Romana & Ambroſiana tranſlatio*) *hoc eſt, vt frequenter Dominicis diebus ſeruetur officium Dominicale, niſi magna feſtiuitas occurrat* : vſque ad cornu altaris, *hoc eſt etiam officium miſſæ Dominicale obſeruando. Et hoc excellentiùs obſeruatur in officio Ambroſiano, in quo die Dominico, nullius Sancti, etiam virginis glorioſæ, feſtiuitas agitur, ſed occurrens in illo transfertur. Romanus autem vſus ceteris vſibus poſt Ambroſianum meliùs ſe habet in quo omnia feſta* IX. *lectionum cedunt Dominicis, niſi ſint beatæ Mariæ, S. Crucis, Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum & proprium cantum habentium. Quando autem propria hiſtoria in alia Dominica locum habere non poteſt, omnis feſtiuitas differtur. Vnde feſtum Matthæi Euangeliſtæ in Dominica non tenetur Romano vſu. Et in aduentu & à Septuageſima vſque in octauam Paſchæ incluſiuè nullum feſtum agitur in Dominica, quia Dominicæ interim occurrentes propriis hiſtoriis decorantur. Abuſus eſt ergo nimius vt feſtum S. Andreæ in Dominica teneatur : cùm Romana conſuetudo, Metropolitanum* Colonienſe *ſtatutum & omnes de officio ſcribentes obuient huic modo.* Ergo ſi ex Radulphi à Riuo ſententiâ *abuſus eſt nimius vt in Dominica teneatur S. Andreæ feſtum*, quod & IX. *lectionum*, & vnius ex Apoſtolis, & antiquiſſimum feſtum eſt; quantus erit *abuſus* ſi ad Caramuelis opinationem SS. Ioachimi, Annæ, Auguſtini, Benedicti, Bernardi, Norberti, Francisci

Francifci de Affifio, Francifci de Paula, Therefiæ, Ignatij, & cuiufque ordinis religiofi fundatoris, festa, quæ & noua festa funt & Apoftolorum feftis longè inferiora, ad Dominicas dies reuocentur? Ea propter Concilium Prouinciale Moguntinum die VI. maij, an. Domini MDXLIX. celebratum fub Sebaftiano Archiepifcopo Moguntino, hæc in cap. LXI. decreuit: *Sanctorum celebritates in diem Dominicam incidentes cenfemus fubmouendas & in feriam aliquam præcedentem vel fequentem transferendas, quo fanctorum omnium Domino fua conferuetur folemnitas: exceptis beatæ Mariæ, Apoftolorum & aliis fummis feftiuitatibus:* Nam &, fi festa in Dominicam diem reijciantur, triplex inde incommodum confurget. Deus enim Sanctorum omnium Dominus, cui peculiari cultu Dominicæ diei celebritas confecratur, feruis fuis fuum concedat locum oportebit; Et falsò vt plurimum in Ecclefiafticis precibus, *Natiuitatis*, *natalium*, *natalitiorum* aliæque id genus, voces afferentur, quæ alteri quàm Sanctorum mortis feu depofitionis, diei adfcribi non poffunt; &, fi alio fefto occupetur ea Dominica dies in quam refundenda illuftriorum Sanctorum festa putat Caramuel, in varias tranflationum & concurrentiarum feftorum (vt vocant) ambages erit impingendum.

Alia funt rationum momenta quibus malè materiatum & ruinofum effe, excogitatum à Caramuele festa refecandi artificium, demonftrari poteft: fed ea cuius intelligenti facilè occurrent: mihi pauca illa folùm indicaffe, fatis eft fupérque.



## Capvt XLV.

*Aptior imminuendorum festorum ratio profertur. Festa omnia ab episcopis tolli non posse euincitur, posse tamen eorum nonnulla siue quæ ab Apostolis instituta sunt, siue quæ per vniuersam aguntur Ecclesiam.*

Commodior itaque imminuendorum festorum via iniri non potuit eâ quam Gallicanæ Ecclesiæ Antistites plerique ingressi sunt, non in Dominicas dies transferendo solemnia, sed, relicto in Ecclesiis pleno & integro illorum officio, adnexam eorum celebritati laboris remissionem auferendo. Quot illi festa antiquauerint, latet nobis qui pauca ipsorum de contrahendis feriis statuta vidimus; quot antiquare potuerint, in præsentia inquirimus.

Sanè non potuerunt omnia, sicut neque omnia abrogarunt. Siquidem diuino iure indicitur festorum quorumdam generatim obseruatio, licèt non huius aut alterius singillatim. Atenim quæ Sabbati, festorúmque dierum celebratio præcipitur in cap.xx. Exodi, cùm Dei præceptum sit & quidem in prima tabula comprehensum, ad diuinum procul dubio cultum attinet. Illud verò præceptum aliquo modò naturale

turale eſt, eóque nomine Chriſtianis æquè ac Iudæis datur; ac proinde Chriſtianis feriati ſunt dies aliqui, quorum obſeruatio ad Dei cultum reuocatur. Alios autem illi feſtos dies non agitant niſi Dominicos, Paſcha, Pentecoſten, Adſcenſionem Domini & ceteros id genus. Quo fit vt dierum eiuſmodi obſeruatio, diuini cultûs ſit, ſancta ſit, ac religioſa. Quantumuis enim huius aut illius diei diſerta determinatio ab vnis Eccleſiæ Catholicæ antiſtitibus ſit præſtituta, ipſa nihilominus tamen diei feſti ſubſtantia (vt ſic loquar) inter primæ præcepta tabulæ imperatur. Epiſcopos verò quis aliquod ex primæ tabulæ præceptis abrogare poſſe ſomniauerit?

At quemadmodum feriarum Eccleſiaſticarum aliæ Dei optimi maximi, aliæ Chriſti, Dei & hominis ſimul, aliæ Virginis Deiparæ, aliæ Angelorum atque Archangelorum, aliæ Præcurſoris Domini, aliæ Apoſtolorum & Euangeliſtarum, aliæ Martyrum, Pontificum & Confeſſorum, aliæ Virginum ac non Virginum (vt ferunt) nomine aguntur, quænam earum decidi poſſint & cohiberi, nunc minutatim expendendum venit.

Adſcenſionis Chriſti feſtum diem, ex S. Auguſtini epiſt. CXVIII. ad Ianuarium probauimus ſuprà in cap. v. ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum; Quem tamen feſtorum dierum albo (quod in cap. VII. contexuit) cùm non inſcribat Concilium Toloſanum, anno Chriſti MCCXXVIII. celebratum, & à Cl. Acherio in tom. II. Spicilegij euulgatum, videtur profe-
ſtum

stum effecisse. Sed neque id cuiquam tantopere mirum videri oportet, qui Ecclesiasticos ritus complures ab ipsismet Apostolis præscriptos, didicerit ex historia sacrâ fuisse insequutis temporibus dissolutos. Argumenta adferrem, proponerem exempla, nisi operam & retiam perdere religio foret.

Sunt qui festa per vniuersam Ecclesiam obseruata rescindi posse ab Episcopis negant ac pernegant. Vnde imminutas à quibusdam nonnullorum Apostolorum celebritates, reuocatásque à feriandi onere tertiam post Pascha & tertiam quoque post Pentecosten ferias, restituendas esse, mordicus contendunt. Nimirum illi pro veneranda antiquitate depugnare sibi videntur, violatáque illius iura vindicare. Adsentirer ego, si, quæ in aliis multis Ecclesiæ ritibus non habita est, in festis diebus habenda semper esset antiquitatis ratio. Quot verò sunt & quanti ritus sacri plurimis sæculis totâ Ecclesia frequentati, qui iam totâ Ecclesia desierunt?

Ex Tertulliano in lib. de coron. milit. cap. III. S. Hilario Præfat. in psalmos, sancto Augustino in epist. CXIX. ad Ianuarium, Alexandro III. Romano Pontifice in cap. *Quoniam*, extra *de feriis*, & Concilio Nicæno in Canone XX. demonstrauimus antea in fine cap. IV. Dominicâ die Christianos, stantes atque erectos orare neque inter precandum genua solitos inflectere. Et tamen *intelligimus* (inquit Bellarminus extremo cap. XI. libri III. de cultu Sanctorum) *nondum esse quingentos annos ex quo ritus hic cessauit.*

Qui

Qui sanctissimo Eucharistiæ Sacramento [illegible] erant, vnos illos [illegible] Missæ [illegible] olim interfuisse testis est in cap. [illegible]. lib. de Ecclesiast. obseruat. Micrologus his [illegible]-*[illegible] obseruandum est iuxta antiquos patres, quod qui [illegible]es [illegible] or-[illegible]. [illegible] & ant[illegible] [illegible]-[illegible] tur [illegible] [illegible], [illegible]-[illegible] qui nondum se parauerunt ad communicandum. [illegible] quoque ipsa Sacramentorum [illegible] confessio. [illegible] sacerdos non pro sua [illegible] oblatione & com-municatione, sed & aliorum rogat, & [illegible] oratione post communionem, pro [illegible] communican-tibus orare videtur.* Nec [illegible] [illegible] a[illegible] [illegible]-*[illegible], a[illegible] [illegible]res de eodem sacrificio p[illegible]r [illegible]p[illegible].* [illegible] quot sunt hodie seu scelesti, seu [illegible] [illegible]-nes, qui quoties Missæ adsunt, ad [illegible] Christi mensam non accedunt, [illegible] nec [illegible] Ecclesiæ legibus iubentur [illegible].

Solis ætate prouectis & [illegible] m[illegible] com[illegible]-tibus, fidelibus collatum antiquitus fuisse ba-ptismi Sacramentum, in cap. XXVI. lib. de re-bus Ecclesiast. VValafridus Srabo sic scribit: *N[illegible]dum primis temporibus, illis solummodo ba-ptismi gratiam dari solitam, qui & corporis & mentis integritate iam ad hoc peruenerant, vt scire & intelligere possent quid emolumenti in baptis-mo [illegible]quendum, quid confitendum atque cre-dendum, quid postremò renatis in Christo esset [illegible]-uandum:* At postmodo statutum esse vt vel paruuli sacro abluerentur fonte, idem protinùs [illegible]suerat.

*A[illegible]iqua est vigiliarum deuotio* (inquit S. Isi-

dorus initio cap. xxii. lib. i. de Ecclesiast. off.) *familiare bonum omnibus sanctis*. Eas tamen, seruato solùm nomine, abrogatas, & Guillelmo Durando Mimatensi Episcopo in lib. vi. Ration. diuin. off. cap. vii. ac Ioanne Belerho in breui diuin. off. explicatione, testantibus, in jejunia conuersas nouimus.

Infantes, primis Ecclesiæ temporibus, sacra corporis Christi communione donatos, scribit inter sexcentos alios in sermone de lapsis S. Cyprianus: vbinam verò locorum mos iste nunc obseruatur?

S. Basilius Magnus longâ consuetudine firmatum ait in epist. ad Cæsariam Patriciam, vt à Christiano quouis, etiam plebeio, sancta domi adseruaretur Eucharistia, & in desertis locis solitariam agentes vitam, Synaxim teneciperent apud se; ac seseipsos diuino illo pabulo reficerent. Quod ipsum Tertullianus in lib. ii. ad vxor. capp. v. ac iv. & in lib. de orat. sub finem, S. Cyprianus in præfato de lapsis sermone, Clemens Alexādrinus in lib. i. Strom. Origenes, in homil. xiii. in Exod. & in homil. de lapsis, Ambrosius in fratris orat. funebri i. Nazianzenus in sororis itidem oratione funebri; & alij SS. Patres contestantur. Sed illa iam à multis annis finiit consuetudo.

S. Irenæus in epist. ad Victorem Papam, quæ ab Eusebio recensetur in lib. v. hist. Eccles. cap. xxiv. mitti ad Episcopos, in pacis ac mutuæ communionis argumentum, consueuisse Eucharistiam profitetur; cuius etiam rei meminit in lib. ii. contra literas Petiliani cap. xxiii.

S. Augusti

S. Augustinus. Quis consuetudinem illam nunc temporis obseruat?

Communionem sub panis & vini vtraque specie populo Christiano multos annos fuisse distributam, soli nesciunt qui res Ecclesiasticas nequidem à primo limine salutarunt. Declarat hoc abundanter in sess. XIII. Constantiense Concilium, vbi ait: *Licèt in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum* Eucharistiæ *reciperetur à fidelibus sub vtraque specie &c.* Abrogatum nihilominus tamen communicandi sub vtraque specie vsum, eoque interdictum videmus a Conciliis Constantiensi in præscripto loco, Basileensi in sess. XXX. & Tridentino in sess. V. cap. I.

Ergo cùm ætate nostrâ octo illæ consuetudines iam desierint omninò celebrari, quantalibet obseruantiâ à Christianis veteribus cultæ: quid obstare possit quominus festa quædam toto orbe Christiano agitata, nunc ab Episcopis antiquentur? An quia non à priuatis Episcopis consuetudines istæ sunt dissolutæ, sed à Conciliis? Imò verò cùm presè & enucleatè, quando & à quonam primùm resignatæ sint, adseueranter nemo profiteri valeat, has tacentibus priuatis Episcopis, vel etiam assentientibus, potiùs quàm decernentibus Conciliis, ablatas fuisse verosimilius videtur. Vt enim ceteras omittam, communicandi sub vtraque specie consuetudinem, à Concilio Constantiensi vetitam, ab eo primitus vetitam non fuisse, ea Ecclesiasticorum scriptorum testimonia liquidò commonstrant,

quæ pluribus ante Constantiense Concilium sæculis, Christianos tradunt aliquando sub vnica specie tãtùm communicasse. Atque ideo communicandi sub vtraque specie consuetudinem cùm non ademerit primò Concilium Constãntiense, ademptam primò ab Episcopis ita permittentibus, ne Dominicus sanguis vel conculcaretur, vel contemptui pateret, non immeritò quis asseruerit. Nam si restitissent Episcopi, & sub vtraque specie communicandi consuetudinem seruari curassent, illa sanè in Ecclesiis permansisset sarta tecta. Iam verò si quibus de causis sublati fuerint antiquissimi illi ac recepti Ecclesiæ mores, inuestigare lubeat: iisdem quoque tollenda esse aliqua antiqua & recepta Ecclesiæ festa innotescet. Eorum plerosque propter enascentia pericula & incommoda abdicatos constat. Quid enim, si soli communicaturi Sacro interessent? Quid si soli ætate prouectiores & mentis integræ, baptismi vndis intingerentur? Si infantibus sacra Communio ministraretur? Si domi seruaretur etiam à plebeis? Si longè positis mitteretur? Si sub vtraque specie a quibuslibet acciperetur? scandala ex hisce fontibus profluxura quis enumeret? *In locum vigiliarum successerunt jeiunia, quoniam multa inde nascebantur incommoda* inquiunt Durandus & Belethus modò citati. *Licet in primitiua Ecclesia* Eucharistiæ *Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie* (ait Constantiense Concilium in sess. XIII.) *tamen hæc consuetudo ad euitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta,*

*cta, quòd à conficientibus sub vtraque specie, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur.* Et agitandorum festorum aliquot, ex quibus multa incommoda, multa pericula, scandala multa cotidie consequuntur, consuetudo intacta relinquetur, ita vt eam Episcopi, quorum est creditæ sibi plebis saluti prospicere, non ausint abrogare? Augustioribus profectò eorum auctoritatem ac iurisdictionem cancellis circũscribunt, qui sic existimant. In Carnotensibus Breuiariis Ludouici Guillardi, Caroli Guillardi Ludouici ex patre nepotis, & Nicolai Thuani Carnotensium Episcoporum iussu euulgatis, ablatum legimus, *Quoniam in æternum misericordia eius*, è singulis ferè versibus psalmi CXXXV. Nimirum eorum ad instar qui è plerisque versiculis trium puerorum cantici, quod apud Danielem legitur in cap. III. quodque in Dominicæ diei ac ceterorum festorum Laudibus recitatur, hæc verba sustulere: *Laudate & superexaltate eum in sæcula.* At si Episcopo licuit ipsa diuinæ Scripturæ verba, sanctissima, sacratissima, omnibus probatissima, vbique maximè venerabilia, è precibus Ecclesiasticis subtrahere: cur Episcopis festos dies nonnullos per vniuersam quantumuis Ecclesiam agitatos, imminuere non licebit? Non licebit Episcopis ferias quasdã Ecclesiasticas vniuersè celebratas rescindere, & licebit Episcopis quibusdam, contra veterem Romanæ Ecclesiæ, vsum, ab octaua Paschæ ad octauam Pentecostes matutino officio tres tantùm psalmos, lectionésque totidem suarum diœcesium in

Breuiariis adſignare, quod inculant Micrologus in cap. LIV. lib. de obſeruat. Eccleſiaſt. & Gregorius VII. in generali Synodo reſidens, vt habetur apud Gratianum in III. part. decreti de Conſecratione, diſt. v. cap. *In die*, ac Radulphum à Riuo in lib. de Canonum obſeruantia propoſ. x. Sed quid pluribus ad illud comprobandum opus eſt? Annon quos tamquam feſtos Orientali Imperio & Occidentali præceperant Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius A. A. ſeptem qui Paſcha antecedunt, & qui ſequuntur ſeptem dies, ad nouem ab Haitone Baſileenſi Epiſcopo in capp. VII. & VIII. Capitularis & à Vvalterio Aurelianenſi Antiſtite in capitulorum VIII. reuocatos liquet.



## Capvt XLVI.

*Dimidiam Dominicæ diei partem demi non poſſe, neque vllum in ea ſeruile opus fieri debere aduerſus Caramuelem, alióſque nonnullos laxiores Caſuiſtas probatur.*

Qvantumuis celebritatum omnium nobiliſſima ſit Dominica dies, eam tamen Caſuitæ quidam remiſſiores ſi non integram, at ſaltem dimidiam diſſolui poſſe adſeuerant apud Caramuëlem in Theol. fundam. fundam. 14.

§. IV. & V. his verbis. *Anne Dominicæ remanebunt intactæ? Anne & ipsæ deberent etiam exauctorari? Id non dico. Scio tamen nonnullos desiderare, ipsas dies Dominicas à Meridie esse liberas. Et quia id tibi fortasse videbitur mirum, peto vt Ægidium audias.* Rusticus sum, ait, laborare
„ manibus scio, orare & contemplari nescio.
„ Hæc dies est Dominica: surrexi serius, &
„ & iam sufficienter requieui. Iui ad Ecclesiam
„ duas audiui Missas, nimirum solemnem &
„ priuatam: concionem etiam: legi meum ro-
„ sarium & orationes quas scio recitaui, Pran-
„ sus sum, & nescio quid faciam post prandium.
„ Ibo ad vesperas? Non aguntur in pago illæ, & si aguntur, mediâ absoluuntur horâ, & sunt dies æstiui valde magni; visitabo vicinos, murmurant, peierant, ludunt, potitant, & inebriantur. Ero otiosus domi; neque id potero: neque proficiam si fecero; nam otium est puluinar diaboli. Quid ergo remedij? Laborare, operari. Ponere media debeo, vt liberer efficaciter ab omni peccato vitióque, & præter machanicum manuum exercitium, nullum habeo. Sic discurrentem rusticum audiuisti. Quid respondes? *Discurrit prudenter vel rusticè: quid debet? quid potest in tali casu Ægidius facere?*

*Respondet Anton. Catonius (aliàs Ausonius Noctiuot) in summa Dianæ, verbo.* Festum, *num.* XIII.
„ Excusatur ratione pietatis puellæ in die festo
„ suentes, vel aliud opus facientes ad vitandum
„ otium, ne ad fenestras se conspiciendas exhi-
„ beant. Ita Sa, verbo *Festum* VI. Homobonus
„ volum. I. par. II. resp. XXXV. & Diana, par. III.

tract.v resol.viii. §. *Notandum est. Ergo [illegible] la piè possunt operari die festo ad vitandum [illegible] & ne garriant, aut se conspiciendas exhibeant [illegible] terunt etiam Rustici & mechanici ad vitandum otium, & ne ludendo aut potitando, pejerandi, blasphemandi, aut rixandi se exponant manifesto periculo: dummodò id fiat clam domique, ad vitandum scandalum, vt de præfatis puellis [illegible] endum est, & periculum sit manifestum, [illegible] rum, pro festo, quod possidet, indicandum [illegible]* Sic nempe sacrum Dominicæ diei otium [illegible] nosâ probabilitatis opinione probabilem [illegible] vindex acerrimus Caramuël euertere ac [illegible] dare nititur.

Verùm quidquid ὑποβολιμαῖος & ὑπό[illegible] Ægidius ratiocinetur, quidquid opinentur auctores omnes à Caramuële laudati, quos responsorum peccare docentium inuentores vere possumus appellare) quidquid Caramuël ipse discuriat, Conciliorum, Summorum Pontificum, Sanctorúmque Patrum placitis insistendum arbitramur, qui vno veluti agmine, & quasi manu factâ, Dominicam diem ab omni opere seruili (nisi vel necessitas vrgeat, vel suadeat pietas) vacuam & liberam esse debere contestantur. Et quoniam multos Ægidij ratiocinio subscribentes audio, qui Dominicis ac festis diebus impunè ac licitè laborari possesent unt, aliquantò pluribus, quàm voluissem, & subiecta materia postulare videbatur, ea nobis est opinatio confutanda, quàm enucleate nostri posteri scriptores reprobarunt (quorum testimonia, vt sese nobis obtulerunt, exhibemus) qui-

nullâ vel paucâ cuiusque ætatis habitâ ratione.

S. August. in serm. CCLI. de tempore, vbi ait. *Dominicam diem Apostoli & Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendam esse sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit: quique ideo Dominica appellatur, vt in eo terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantùm diuinis cultibus seruiamus.*

Concilium Matisconense II. Prouinciale, quod ideo nonnullis Generale dicitur, quia ad illud quotquot erant in Gunthera mni regno, Metropolitani Episcopi conuenere, in can. I. *Custodire debemus diem Dominicam, quæ nos denuò peperit & à peccatis omnibus liberauit. Nullus vestrûm litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones exerceat, nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat. Estote omnes hymnis & laudibus Dei animo corporéque intenti. Si quis vestrûm proximam habeat Ecclesiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die semetipsum precibus, lacrymisque afficiat. Sint oculi manúsq; vestræ toto illo die ad cælum expansæ ipse est enim dies requietionis perpetuus, ipse nobis per septimæ diei vmbram insinuatus noscitur in lege & Prophetis. Iustum igitur est, vt hanc diem vnanimiter celebremus, per quam facti sumus quod non fuimus. Fuimus enim antè serui peccati, sed per eam facti sumus filij Iustitiæ. Exhibeamus Domino liberam seruitutem, cuius nos nouimus pietate de ergastulis liberatos erroris: non quia hoc Dominus noster à nobis expetit, vt corporali abstinentia diem Dominicam celebremus, sed quærit obedientiam,*

*per quam nos calcatis terrenis actibus, ad cælum u-que misericorditer prouehat. Si quis igitur vestrum hanc salubrem exhortationem parui penderit, aut contemptui tradiderit, sciat se pro qualitatis merito principaliter à Deo puniri, & deinceps Sæculari quoque iræ implacabiliter subiacere. Si Causidicus fuerit, irreparabiliter causam amittet; si rusticus aut seruus, grauioribus fustium ictibus verberabitur; si Clericus aut Monachus, mensibus sex à consortio suspendatur fratrum.*

Celebratum multò ante Concilium Matisconense, Aurelianense Concilium III. sub Childeberto Francorum Rege, in can. XXI. *Quia persuasum est populis die Dominico cum caballis & bobus & vehiculis itinerare non debere, neque vllam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem, nullatenus exercere, quæ res quia ad Iudæam magis, quàm ad obseruantiam Christianam pertinere probatur) id statuimus, die Dominico, quod ante fieri licuit, licere. De opere tamen rurali, id est, agricultura vel vinea, vel sectione, vel messione, excussione, vel exarto, sæpe censuimus abstinendum, quò facilius ad Ecclesiam venientes, orationis gratiâ vacent. Quod si inuentus fuerit quis in operibus suprà scriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendare debeat, non in laici districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.*

Concilium Antissiodorense Prouinciale in can. XVI. *Non licet in die Dominico boues iungere vel alia opera exercere.*

Conciliū Mogontinum I. sub Karolo magno, in can. XXXVII. *Omnes dies Dominicos cum omni*

*veneratione decreuimus obseruare, & à seruili opere abstinere, & vt mercatus in eis minimè sit, nec placitum vbi aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur.*

Karolus magnus in lib. VI. capitul. cap. CLXXXVI. *Diem Dominicum secundum reuerentiam colite? opus seruile, id est, agrum, pratum, vineam, vel si qua grauiora sunt, in eo non faciatis, nec causas, nec calumnias inter vos dicatis, sed tantùm diuinis cultibus seruiatis* Vide & additionem II. ad capitularia cap. IX. vbi idem præcipitur.

Concilium Cloushoniæ sub Cuthberto Doroberniæ Archiepiscopo, *præsentibus præter Episcopo: Sacerdotes & Ecclesiasticos plurimos, Ædilbardo Merciorum Rege cum suis Principibus & Ducibu* an. Domini DCC.XLVII. in Can. XIV. apud Spelmanum in tom. I. Conciliorum orbis Britannici: *Decimoquarto statuitur loco vt Dominicus dies legitima veneratione à cunctis celebretur, sitque diuino cultui tantùm dedicatus.*

Atto Vercellensis Episcopus in capitularis quod nuper edidit in VIII. Spicilegij sui tomo doctissimus Acherius, cap. LXX. *Qui die Dominico studiosè ieiunat, non credatur Catholicus. Et nullum negotium, nullúmque opus seruile eodem die fiat.*

Conciliũ Ænhamense pan-Anglicum in cap. XV. *Festiuitatem diei solis feruentiùs quisque obseruato, à mercaturis & conuentibus populi, putà secularibus & forensibus, à venatione etiam & mundanis operibus, in sancta illa die sedulus abstineto.* Et in cap. XXX. *Vt in die Solis omnem mercaturam*

*communi ísque popularis fugiant studio.*

Canutus Anglorum Rex in cap. xiv. Legum Ecclesf. apud eundem Spelmanum, in tom. I. *Nemo quoad eius fieri poterit, cuiuscumque [illegible] admissi damnatus (nisi quidem sese in fugam [illegible]rit) die Dominico morti obijcitor, quin comprehensus, vsque dum dies ille festus transierit, [illegible] Liber si die quocumque festo operis [illegible] rit, ea quæ est loco colli obstricti multa [illegible]to. Deo autem, prout ei fuerit imperatum, [illegible] Seruus si opus fecerit, vapulato, aut pro [illegible] virgarum metum pretio redimito. Herus si [illegible]uito opus addixerit die quocumque festo, [illegible]ctator suo, seruus deinceps liber esto. Herus [illegible] si in Dacis fuerit, violatæ legis pœnam [illegible] Anglus pro facti ratione, aut multâ afficitor [illegible] crimen purgato.* Tum in cap. xxii. [illegible] quas *ex Sapientum consilio Natalitiis D[illegible] stri Iesu Christi diebus Vvintonio sanci[illegible]. Die Dominico mercata concelebrari, populi [illegible] (nisi flagitante necessitate) plenissimè [illegible] præterea die sacro-sancto à venatione & [illegible] reno prorsus omni quisque abstineto.*

Concilium Compendiense relatum in libro Decretal. cap. *omnes dies* tit. ix. *Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni [illegible] abstinere, vt in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta, nisi pro pace vel alia necessitate præstentur.*

S. Edmondus, Cantuariensis Archiepiscopus, in speculo Ecclesiæ, cap. xi, *Tertium præ-*

*cep-*

*[illegible] tale est* : Memento vt diem Sabbati san-*ctifices* ; *hoc est quodlibet festum statutum per Ec-clesiam d[illegible]as cordis & corporis quietem & requiem ; enim ita sonat hoc verbum (Sabbatum.) Nam qui-libet homo tenetur custodire Sabbata quæ sunt in [illegible] dominio, videlicet dies Dominicos & festa [illegible]orum, & alia festa magna sunt in Ecclesia san-cita, statuta & ordinata celebranda. Modo indulge pro Deo, ne habeas pro malo, & dicam tibi quomo-do debes Sabbata custodire. Si sanus de corpore, sur-gas de lecto tuo, manè, ne dimittas pro frigore, nec pro somno, nec pro sudore. Nam quantò es ma-gis [illegible] ad hoc agendum, tanto plus mereris, si [illegible] libenter feceris. Deinde debes ire ad Ecclesiam & deuotè Matutinas dicere, vel sine garrulitate dulciter audire Missam & omnes Horas diei. Et po-stea, si apud te fuerit aliquis prædicator proponens sermonem facere, debes verbum Dei dulciter audire & memoriæ commendare, & illud opere adimplere. Et cum fueris ad prandium, de bonis quæ tibi Deus accommodauerit, libenter pauperibus distribue, & post prandium de omnibus beneficiis suis Deo gratias age. Posteriùs non ibis ad tabernam & luctationes, vel choreas, vel ad alios ludos vanos, nam de tali-bus sæpè eueniunt infortunia & peccata mortalia, sed debes miseros & languidos visitare, & ita dies festiuales in Dei seruitio finire.*

Exonienſis Synodus anno MCCLXXXVII. in cap. XXII. Tam Veteris, quàm noui Teſtamenti pagina ſeptimum diem ad humanam requiem deputauit. *Vnde Iudæi ſecundùm literam, diem Sabbatum, nos ſecundum literæ intellectum, Dominicum à manuali opere cuſtodimus, quo in Eccle-*

*sia populus Christianus tam diuina obsequia audiat, quàm viuendi normam addiscat. Et quantò [...] ria sæculi operationes Parochianos non sinunt cæ- teris diebus diuinis officiis interesse, tantò his diebus singuli curiosius tenentur adesse, vt Deum pro [...] materiali in singulos dies perituro sex diebus la[bor]a- uerunt, septimo saltem die cibo spirituali, [...] perit, verbo Prædicationis salubriùs refoc[illentur].*

Concilium apud S. Medardum, in Capitu- lis relatis à Iouerio in Sanctionibus Ecclesia- sticis, tam Synodicis, quàm Pontificiis [sta]- *tuimus quoque secundùm quod in lege Dominus mandauit, vt opera seruilia diebus Dominicis non agantur, sicut genitor meus in suis [...] bus edictis mandauit, quod nec viri ruralia [...] ceant, nec in vinea colenda, nec campis arando, vel metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in siluis stirpando, nec arbores cædere, nec in pratis laborare, nec domos struere, nec in horto laborare, nec placita conueniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur. Fœminæ opera textilia non faciant in die Dominica, non capulent vestitus, non consuant, vel lanam carpant, non [...] lixiuiam facere, aut vestimenta lauare, aut ver- veces tondere, vt omnimodus honor & requies die Dominica persoluatur: sed ad Missarum solemnia vndique conueniant, & laudent Deum pro omni- bus bonis quæ nobis in illa die conferre dignatus est.*

Et Concilium Dingolfingense apud Ioan- nem Auentium in lib. III. Historiæ Boiorum: *festo die solis otio diuino intentus, profanis nego- tiis abstineto. Qui hoc die vehiculariam aut huius- modi operam fecerit, iumenta eius publica sunto, si [...]*

*contumax perrexerit Deum ad iracundiam, polluendo festum, irritare, in seruitutem redigatur.* De eo Concilio ibidem ita loquitur Auentinus, *Celebrior conuentus Bojorum in inferiore Bojaria Dingulefini fuit. ( Oppidum est in ripa Isaræ ) Interfuere sex Episcopi & Pontificestredecim monasteriorum rectores.*

Hæc autem tam dilucida SS. Patrum & Conciliorum testimonia quid indicant aliud, nisi Dominicis diebus operari manibus nefas esse. Et verò si Dominicis diebus liceret seruilia opera exercere, vbi tam solemniter imperata à Deo diei Sabbati sanctificatio? Quare post indictam à Deo Sabbati sanctificationem in cap. xx. Exodi, ista verba subjungerentur? *Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua & seruus tuus & ancilla tua, jumentum tuum & aduena qui est intra portas tuas.* Quid (amabo) docemur his vocibus, nisi vt quæcumque diuinum possunt cultum impedire, omnino fugiamus? Nonne his omne seruilis operis genus vetatur, non quidem quòd suapte naturâ vel turpe, vel malum sit: sed quòd mentes nostras à diuino cultu, qui præcepti finis est, abstrahat, voluntatésque nostras à summi Conditoris amore alienet?

Non me clam est longè satius futurum homini rustico, qualis à Caramuële fingitur Ægidius laruatus, Dominicis diebus terram colere, ligna cædere, fiscellam, junco texere, canistrum lentis plectere viminibus, infructuosas arbores vel gemmis, vel surculis inserere, *ad vitandum diaboli pulvinar otium*: quàm si

*murmure-*

*murmuraret, pejeraret, luderet, potitaret, inebriaretur.* Non me fugit multò melius ſibi conſulturas puellas quæ (vt Caſuiſtæ noſtri barbares loquuntur) *in die feſto ſuerint, vel aliud opus facerent ad vitandum otium*, quam ſi [illegible]*rent aut ad feneſtras ſe conſpiciendas* viris *exhiberent.* Sed quid tandem hoc rei eſt, niſi è duobus malis quod minus eſt amplexari. Atque hanc eſſe S. Auguſtini mentem ſic indicat in lib. de nouis celebritatibus non inſtituendis Doctiſſimus Clemangius: *Dicit B. Auguſtinus malle ſe Dominico die aratro terram proſcindere quam choreas ducere: non quidem quod inter laborantes aut quid aranti ignoſcendum ſit. Sed quod multo grauius delinquit qui choreas ducit, quia & ipſum ſæpe peccatum eſt & ad deteriorum longe peccatorum ſolet occaſiones impellere. Quid aliud verba iſta celeberrimi Doctoris inſinuant, quam melius, honeſtius, ſalubrius eſſe feſta non colere, quam Gentilium ſacrorum ſpurciſſimo ritu cum tali fœditate colere?* vnde *Dicitur tibi* (inquit S. Auguſtinus in lib. de x. chordis cap. III.) *vt ſpiritaliter obſerues Sabbatum, non quomodo Iudæi obſeruant Sabbatum carnali otio, vacare enim volunt ad nugas atque luxurias ſuas. Melius enim faceret Iudæus in agro ſuo aliquid vtile, quàm in theatro ſeditioſus exiſteret, & melius fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quàm tota die in neomeniis ſuis impudicè ſaltarent. Tibi autem dicitur vt obſerues ſpiritaliter Sabbatum, in ſpe futuræ quietis quam tibi promittit Dominus.* Licet ergo minus peccatum ſit operari die Dominica, quam impudicè ſaltare, quàm peccandi occaſionem aliis ſubminiſtrare.

ministrare: nihilominus tamen operari die Dominica peccatum est & quidem officioso vel iocoso mendacio grauius.

Neque verò diebus Dominicis tantummodo operari prohibetur, sed & aliis quoque diebus festis. Hoc & Canutus Anglorum Rex in cap. XIV. leg. Eccles. & S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus in speculo Ecclesiæ, cap. XI. modò memorati præscribunt; & VVigorniensis Synodus, in tit. de festis celebrandis ita decernit. *Quod autem prædecessor noster statuit de festis celebrandis, ne fiant in eis opera seruilia, præcipimus ab omnibus vniformiter celebrari, nisi forte specialiter aliquid fiat pro veneratione Sanctorum in quorum honore Ecclesiæ vel altaria consecrantur*; Et Pius V. Septimi Decretal. lib. III. tit. IX. de reliquiis & veneratione Sanctorum, cap. II. his verbis: *Cùm dierum festorum obseruatio ad Dei cultum maximè pertineat & in lege diuina præcipiatur, cupientes abusus prauos, qui ex eorum inobseruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum statuta renouantes mandamus vt omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione obseruentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, diuinis officiis deuotè intendant, ab omni illicito & seruili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes & iudiciorum strepitus conquiescant. Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter diuinam vltionem & amissionem animalium quibus ad ve-*

*cturam*

*ctiuram vtetur, etiam graues pœnas incurret, arbitrio nostro seu Vicarij nostri in vrbe. In aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum magistratuum, ita vt præuentioni locus sit, Romæ, Kalend. Aprilis,* MDLXVI. Et quomodo seuerè Deus animaduerterit in eos qui diebus festis operantur, exempla sunt ad manum infinita. Duo occurrunt apud S. Gregorium Turonensem illustrissima, alterum in lib. II. miraculorum cap. XI. alterum in lib. de glor. Confess. cap. XCIII. Vnum præterea in vita S. Carilefi Abbatis Anisolensis, in tom. I. Actor. SS. Ord. S. Benedicti, & alterum apud Guibertum venerabilem in lib. de laud. B. Mariæ virginis cap. XI.

Aliquando tamen propter alimentorum aliorúmque id genus necessitatem, Dominicis & ceteris feriatis diebus, seruili operi licitum esse intendere non diffitemur. Nam & Alexander III. in lib. II. decret. cap. *licet*, tit. IX. de feriis, Triburiensis Archiepiscopatûs incolis copiam facit *diebus Dominicis & aliis festis, præterquam in majoribus anni solemnitatibus*, captationi halecum, *ingruente necessitate*, indulgendi. Et Constantinus Magnus in lib. III. Cod. tit. XII. *de feriis*, capit. *omnes iudices*, imperat iudicibus omnibus, vrbanis plebibus, & cunctarum artium officiis, Dominicæ diei quietem; addit: *Ruri tamen positi agrorum culturæ liberè licentérque inseruiant: quoniam frequenter euenit vt non alio die aptiùs frumenta sulcis & vineæ scrobibus commendentur: & ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa.* Sapienter omnino; cùm & necessitati nullæ sint

feriæ

feriæ, & nulli legi subjaceat necessitas. Vnde ista Alexandri III. & Constantini A. statuta tantùm abest vt Caramuëli laudatísque ab eo scriptoribus faueant, vt potiùs eorum opinionem funditùs conuellant. Fauere videtur in cap. XLVIII. suæ Regulæ S. Benedictus, vbi scribit : *Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his qui variis officiis deputati sunt. Si quis verò ita negligens aut desidiosus fuerit vt non velit aut non possit meditari aut legere, injungatur ei opus.* Non fauere tamen ostendunt ea quæ eruditissimus Hugo Menardus in cap. LV. notarum ad Concordiam Regularum S. Benedicti Anianæ Abbatis, pag. DCCCIX. ad illa verba (*injungatur ei opus*) adnotauit hoc modo : *Quod non sit seruile, nec sit eiusmodi diebus prohibitum aut si seruile, quod sit licitum, vt ministerium aliquod in culina vel in domo infirmorum.*

Conficiamus itaque Dominicam diem nec solidam, nec dimidiatam posse ab Episcopis resecari, quod à nemine factum hactenus audiuimus; quodque à nemine fieri posse non obscurè indicat Nicolaus Clemangius in libro de nouis celebritatibus non instituendis, in quo de Michaële Antissiodorensi Episcopo agens hæc ait : *Non autem vir ille optimus Dominicæ diei celebritatem, quæ tempore catholicæ religionis Sabbati obseruationi diuinitus instituta succedit, abolendam putauit, quod nec certè poterat.*

Valeat ergo cum suo Ægidio Caramuël, cuius de Dominicæ diei dimidiæ resectione sententia, ab vnâ ex hæresibus non multùm discrepat, quas Petri Bruis successor Henricus quidam.

quidam impiè propugnabat, dum *dies festas festiuis frustrari solemniis* volebat, vt ait S. Bernardus in epist. CCXLI. *ac dierum solemnium vacationes spernebat*, quod testatur S. Bernardi discipulus ac Notarius Gaufridus Altæ-Cumbæ Abbas, in suauissimi præceptoris sui vitæ lib. III. cap. VI. Caramuëlis Ægidius *si nescit quid faciat Dominicus diebus post prandium, si non aperiatur in illius pago vespera*; si cum vicinis *murmurare, pejerare, ludere, potitare & inebriari* non vult; *si otiosus esse dormi neque potest*, nec prohibet, *si fecerit*, non adeo necesse est *laboret*, *oportinr*, quemadmodum discurrit. Obambulet, agros aut vineam perlustret, amicos inuisat, si quos habet rectè institutos, honestè cum eis confabuletur, *legat* & relegat *suum rosarium*, *orationes quas scit recitet* semel & iterum, ἀδιαφορα tantùm dicat & faciat: sic breui decurret Dominicæ diei pars dimidia, sic *diaboli pulninar otium* euitabitur.



## Capvt XLVII.

*Si aliâ quàm Dominicâ die eueniret sanctæ Trinitatis festum, rescindi posset?*

Festos dies inter qui peculiari quodam suo Deo sacri sunt, non vltimum locum occupat in Ecclesia sanctissimæ Trinitatis celebritas.

nitas. Hanc Trinitariorum (inquit Benedictus à Benedictis in speculis Ecclesiæ Christi Catholicæ, hæresi IX. *Quaternarij, Mahumetani, & alij similis farinæ nebulones è medio tollunt: Ecclesiæ autem veri cultores gloriosissime desiderio celebrant auctore Deo ac ritibus Ecclesiæ.* Illam quoque fortassis ob causam *Officium eius præcipuè propter hæreticos institutum fuisse credit* Ioannes Belethus, Parisiensis Theologus, in breui diuin. off. explic. cap. LXII. De illius festi institutione primaria nõ adeo inter Ecclesiasticos scriptores conuenit, aliis ad Gregorium IV. aliis ad Ioannem XXII. referentibus. Institutionis rationes tres adducit Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus in lib. v. Ration. diuin. off. cap CXIV. his verbis: *In plerisque locis in Octaua Pentecostes fit festum S. Trinitatis. Postquam enim celebrata est festiuitas Patris, in Natiuitate, quia Natiuitas dicitur festiuitas Patris, & postquam celebratum est festum Filij in Pascha, & festum Spiritus sancti in missione ipsius, meritò in Octaua Pentecostes fit festum eorum, scilicet Trinitatis, vt ostendatur quòd tres personæ sunt vnus Deus. Et hæc est prima causa quare celebratur festum trium personarum diuinarum simul. Secunda causa est quia ad inuocationem S. Trinitatis datur in baptismo Spiritus sanctus; tertia causa est vt ostendat Ecclesia filiis suis illum à quo sunt omnia bona, cuius habet imaginem & cuius debet habere similitudinem, videlicet Dei & sanctæ Trinitatis, quam semper laudare debemus, & quia tota intentio est laudare ipsum.*

Triplex esse illius diei officium, sic memorat

rat in cap.xix.sect.vi. Comment.in rubr.Breu.Rom. Bartholomæus Gauantus: *Officium quod hodie recitatur, antiquum appellatur in Breuiario edito Venetiis* MDL. *& puto esse illud quod à Sancto Stephano Leodiensi compositum fuisse scribunt Durandus lib.*VI.*cap.*CXIV.*Et Trethemius in chronico Hirsangiensi. Aliud officium ego legi à Romana Ecclesia vsurpatum, à Ioanne Pechano Archiepiscopo Cantuariensi compositum, à Francisco Titelmanno expositum, quod fuit in vsu circa annum* MCCXC, *Quo viuebat Pechanus.Sed quia est stilus difficilis & obscurissimus, eo abrogato illud est suffectum denuò quo nos vtimur, in quo tamen Pius V. mutauit Hymnos & Lectiones, addidit primum & vltimum responsorium, media aliqua mutauit in meliora, ad Laudes autem iussit repeti antiphonas in primis Vesperis positas, reliqua non sunt mutata. Oratio habetur in Sacramentario S. Gregorij.*

Nihil autem esset cur ex aliorum festorum albo non posset expungi sanctissimæ Trinitatis festum, si aliâ quàm Dominicâ die celebraretur. Neque enim adeò antiquum est, vt argumentantur plerique, cùm nec circa annum Christi MCLXXV. Alexandri III. Romani Pontificis temporibus frequentatum in Ecclesia Romana fuerit, quemadmodum hæc ipsius verba denotant apud Gregorium IX. in lib. II. decret. cap. *Quoniam*, tit. IX. de feriis: Festiuitas Sanctissimæ Trinitatis secundùm consuetudines diuersarum regionum à quibusdam consueuit in Octauis Pentecostes, ab aliis in Dominica I. ante Aduentum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in vsu non habet quod in

aliquo

aliquo tempore huiusmodi celebret festiuitatem, cùm singulis diebus, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto*, & cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Imò in Gallia nonnisi CCLX. post Alexandrum III. annis celebrari cœpit, quandoquidem Ioannes Gersonius qui an. Domini MCCCCXXIX. hominem exuit illud sua ætate nouiter imperatum profitetur in tract.de cura Curatorum, seu de visitatione Prælatorum, par.3. vbi ait, *Notetur de festo Trinitatis solemnisando, prout Papa nouiter instituit*. Ioannes scilicet XXII. Berno enim Augiensis Abbas, qui sub Benedicto VIII. floruit an. MXIV. Dum adhuc apud Gallos esset constitutus, non modicam super hac re quæstionem exortam in illis regionibus, scribit initio capitis 3. lib. *de quibusdam rebus ad Missam spectantibus*. Alijs affirmantibus quod oporteret celebrare octauas Pentecostes, alijs è regione contradicentibus in hac solemnitate qua Spiritus sanctus super Apostolos in linguis igneis apparuit, non plus quàm septem dies debere expendi iuxta dona eiusdem Spiritus sancti. Ac postquam multis argumentis Dominicâ I. post Pentecosten, Octauam Pentecostes celebrandam demonstrauit, totum caput ita concludit: *Itaque sicut celebrauimus majestatem Spiritûs sancti in Pentecoste, celebremus & in Octauis eiusdem festiuitatis, quatenus sapissimè recolendo eius dona, dignetur Caritas eius se profusius infundere cordibus nostris*. Ex his omnibus manifesta patet ratio quod hi qui Octauam Pentecostes celebrant, rectiùs agunt, quàm qui hoc agere nolunt

sunt. Igitur iustissimè & rectissimè à sancta matre Catholica Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, Octauæ Pentecostes solemnitas celebratur, veneratur, & colitur. Si quis verò huic sanæ diffinitioni contradicit, eiusdem matris Ecclesiæ vnitatem scindit.

Et reuera in Kalendario Romano sat vetusto quod è MS. Codicibus Monasterij S. Genouefvæ Parisiensis in monte, edidit Ioannes Fronto Canonicus regularis & Vniuersitatis Parisiensis Cancellarius post Dominicam diem Pentecostes reperitur, *Dominica Octaua Pentecostes*, & Euangelium secundùm Ioannem, cap. xxiv. *Erat homo ex Pharisæis*, vsque ad, *sed habeat vitam æternam*: non illud quod hodie in sanctæ Trinitatis festo habetur secundum Matthæum cap. xxviii. *Data est mihi omnis potestas*, vsque ad, *consummationem sæculi*. In libro Sacramentorum S. Gregorij Magni, ex Hugonis Menardi editionibus, ac Pamelij, legitur *Dominica Octauas Pentecostes*; in antiquissimo Kalendario MS. quod adseruatur in Bibliotheca Capituli Ecclesiæ beatæ Mariæ Carnotensis, vnà cum quatuor Iesu Christi Euangeliis, sub hoc titulo: *Capitulare Euangeliorum de circulo anni*, inuenitur, *Octauas Pentecostes*, quâ die Trinitatis celebritas agitur; & in præscripto cap. iii. testatur Berno *sæpius in officialibus* suis *libris scriptum legi*, post Octauam Pentecostes; quod etiam in veteribus omnibus Kalendariis, aliísque Ecclesiasticis id genus libris animaduertere est. Quæ omnia argumento sunt illâ ipsâ die minimè agitatum olim Trinitatis festum.

Sed

Sed neque etiam plerisque in locis, suo æuo, hoc est circiter anno MCCLXXX. agitatum insinuat Durandus in præfato cap. CXIV. lib. VI. vbi varias variarum Ecclesiarum consuetudines circa celebrationem Dominicæ I. post Pentecosten sic percenset: *De historia Trinitatis inuenitur varia consuetudo. Alij namque non vtuntur ea, sequentes reprobationem Alexandri Papa. Alij verò vtuntur ea, cantantes eam in hac prima Dominica, sequentes primam institutionem Alcuini. Alij ponunt eam in fine temporis declinationis, scilicet in vltima Dominica, videlicet ante Dominicam de aduentu, sequentes vltimam probationem Gregorij Romani: ergo numquam de Trinitate celebrant festum, nec etiam has Octauas faciunt, sed in I. Dominica post Pentecosten incipiunt historiam,* Præparate, *seu* Deus omnium. *Alij verò celebrant hodie de Octaua, scilicet de Spiritu sancto, & ponunt eamdem epistolam, & idem Euangelium, propter baptismatis Sacramentum, ceteris obseruatis sicut in die Pentecostes.*

Legas tamen in memorato S. Gregorij Magni Sacramentorum libro, Præfationem quæ nunc in Ecclesiis dicitur in die festo sanctæ Trinitatis; at Micrologus in cap. LX. vbi festum illud celebrantes arguit, libri de obseruationibus Ecclesiasticis, præfationem illam festo S. Trinitatis peculiariter dicatam non esse admonet, sed singulis totius anni Dominicis diebus aliâ non donatis dici & cantari solitam in Missæ sacrificio, sic ait: *Præfationem de sancta Trinitate, quam in diebus Dominicis frequentamus, non ex Albino, sed ex Romana auctoritate*

*suscepimus.* Vna enim earum est Præfationum nouem quas vnas (vtpote veterrimas) in Ecclesia retinendas arbitratur S. Gregorij Magni Antecessor Pelagius II. vniuersisque Germaniarum ac Galliarum Episcopis ita commendat apud Gratianum, cap. *inuenimus*, de consecrat. dist. 1. *Inuenimus has nouem, præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retrò vetustas in Romana Ecclesia hactenus seruauit, id est vnam in albis Paschalibus, aliam de Adscensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Adparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, Octauam de Cruce, nonam de jejunio in quadragesima tantummodo dicendam. Has præfationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia, has tenendas vobis mandamus.*

Legas quoque in eodem S. Gregorij libro Sacramentorum, orationem quæ in die Dominica sanctæ Trinitatis etiam nunc dicitur: vnde festi S. Trinitatis antiquitatem colligat forcasse aliquis. Verùm in suprà recensito capite LX. Micrologus ait orationem illam, sicut & alias ab Albino editas de sancta Trinitate, *nulli magis hebdomadæ quàm alij adscribi.* Et verò istam de Trinitate orationem libro Sacramentorum S. Gregorij ab aliquo Trinitatis officij pariter ac festi studioso insertam fuisse præter ordinem orationum in Missa dici de eodem mysterio eodémve sancto consuetarum, duo videntur euincere. Tum quòd (vti jam adnotauimus, in hocce Sacramentorum libro prima post Pentecosten Dominica, non *Domi-*

*nica Trinitatis* , ſed *Dominica Octauas Pentecoſtes* nuncupetur;tum etiam quòd in illius Dominicæ miſsâ , primâ oratio ſit de Trinitate,ſecunda & tertia de Spiritu ſancto tantùm. Cur autem *Dominica Octauas Pentecoſtes* , potius quàm *Dominica Trinitatis* diceretur : cur duæ poſteriores orationes eſſent de ſpiritu ſancto, niſi eâ die de Octaua Pentecoſtes, ſeu de Spiritu ſancto , non verò de Trinitate , officium ageretur? Exiſtimarim ego orationem de Trinitate ab Albino Alcuino additam fuiſſe libro Sacramentorum S. Gregorij propterea quòd in eodem cap. Micrologus hæc ſcribat: *Fecit Albinus in ſancta Eccleſia non contemnendum opus. Nam Gregorianas orationes in libris Sacramentorum collegiſſe aſſeritur , paucis aliis adjectis, quas tamen ſub obelo notandas eſſe indicauit.* Cùm enim hanc de Trinitate compoſuerit orationem Albinus,neque illa cum duabus aliis concordet quæ Dominicâ poſt Octauas Pentecoſtes in libro Sacramentorum S. Gregorij leguntur , & eiuſmodi libro *paucas alias adjecerit,* quare illam adjeciſſe non conijciamus?

Nemini porrò mirum videri debet quòd eiuſmodi feſtum in antiquis feſtorum dierum recognitionibus non compareat , quæ fuerunt à nobis ſuperiùs variis in capitibus repræſentatę.Karolum Majorem rogauit olim Kathuulphus illud vt Galliæ populis indiceret , quemadmodum cõſtat ex eius epiſtola *ad Domnum Karolum regem* , quam refert Cheſnius in tom. 11.Scriptorum hiſt.Franc.vbi habetur : *Ergo,mi rex , ſi vobis placeat hoc conſilium pro his omnibus,*

*pro te & pro exercitu Christianorum, vt vnum diem post jejunium in anno in honore sanctæ Trinitatis & vnitatis celebrem constituas super regnum tuum cum consilio Synodi Francorum.* At non placuisse Magno Imperatori Kathuulphi consilium atque postulata, id manifesto iudicio est, quòd nullam omnino in Capitularibus suis; in quibus festa suo tempore celebrata satis accuratè percenset, festi sanctæ Trinitatis mentionem fecerit, nihílque aliis in scriptis, siue decretis, siue epistolis, ab eo de festi illius obseruatione definitum inueniatur.

Cùm igitur nullum habeat antiquitatis suæ locupletem testem sanctissimæ Trinitatis festum; cúmque *Officium de sancta Trinitate in Octaua Pentecostes quidam Leodiensis* Episcopus *Stephanus, sicut & historiam de Inuentione S. Stephani, composuisse asseratur: quæ* tamen *vtraque* (inquit ibidem Micrologus) *ab Apostolica sede respuuntur:* Non satis intelligo quî festum illud & in Octaua Pentecostes, & in Dominica 1. ante Christi Seruatoris aduentum in Ecclesiis, Senonensi, Carnotensi, Cenomanensi, Andegauensi, Abrincensi, aliísque semel & iterum obseruetur, quod non immeritò posset ceterorum è numero tolli; quodque reipsa in Majoris-Monasterij Breuiario, an. MDXXXIV. euulgato, sublatum est, & hodie quoque nescit Claromontensis Ecclesiæ Aruernorum vsus, si fidem Guicto habeamus in lib. I. Horologias, cap. I. quæst. XII.

Rationes ergo nouem sunt (vt quidquid in hocce capite fusè dictum est à nobis, breuiter heic

heic proponatur) quæ festum S. Trinitatis imminuendum fore comprobant, nisi Dominicâ die ageretur.

I. Quòd in vllo vetere feriarum καταλόγῳ numeretur.

II. Quod in nullis antiquis Kalendariis, aliísque Ecclesiasticis libris adnotetur.

III. Quòd illud Alexandri III. temporibus Romana non seruaret Ecclesia, & etiam nunc stet ratio propterquam non seruaret.

IV. Quòd multis in locis, Durandi ætate, non ageretur.

V. Quòd Berno, quâ die celebratur, rectiùs celebrari sentiat Octauam Pentecostes.


VI. Quòd, *incongruum videri vnam Dominicam cum orationibus Albini & cantu Stephani, de sancta Trinitate celebrari*, scribat Micrologus.

VII. Quòd anno MDXXXIV. Non agitaretur in Majori Monasterio.

VIII. Quòd in regno suo noluerit illud peragi Karolus Magnus.

IX. Quòd nostrâ ætate in Ecclesia Claromontensi apud Aruernos non colatur.





## Capvt XLVIII.

*Circumcisionis Christi festum dimitti potest, vel in proximè sequentem Dominicam rejici.*

E Feriis Ecclesiasticis quæ Christo Iesu Θεανθρώπῳ Deo & homini simul consecrantur, demi posse Dominicæ Circumcisionis festum diem sex illa rationum momenta videntur persuadere.

1. Enim nulli è sanctis Patribus aut ex Ecclesiasticis Scriptoribus S. Iuone Carnotensi Episcopo & S. Bernardo antiquiores inueniuntur, homilias seu sermones edidisse aut habuisse de Circumcisione Domini; quòd sanè factitatum ab iis legeremus, si id genus festum adeo vetustis Ecclesiæ temporibus solemne fuisset, vt apud nos est hodiernâ die. Sanctus quidem Ambrosius, S. Ioannes Chrysostomus, S. Augustinus, S. Maximus, S. Petrus Chrysologus & alij plures, quos enumerare longius sit, ipsis Kalendis Ianuariis conciones ad populum pronuntiauere, quas hodie quoque in eorum operibus deprehendere est. Verùm illæ in describendis, deflendis, carpendísque turpibus Gentilium cerimoniis, quæ eâ potissimùm seruabantur die, aut totæ, aut maximam partem occupatæ sunt: & vel nihil omnino, vel pau-

ca

ca quædam de Circumcisionis Christi Domini mysterio attingunt, vt cuiuis expendenti fiet manifestum. Sed etsi ea die habitas à SS.Patribus conciones sacras concedatur, non tamen iudicio est festam fuisse & solemnem. Nam de profestis diebus, aliquando orasse ad populum diuini verbi præcones & S. Augustinus in sermone LXXXII. de tempore, Et in sermone XLIII. de verbis Domini, S.Ioannes Chrysostomus in homil.XXIV. ad cap.III. S.Ioannis, Socrates in lib.V.histor.Eccles.cap.XXI.& Nicephorus in hist. Eccles. lib. XII. cap. XXXIV. contestantur.

II. Nulla est agitandæ Christi Circumcisionis potior ratio, quàm Transfigurationis, quæ tamen modò plerisque in Ecclesiis profesta est, etiamsi Dominicæ Circumcisionis festo longè vetustior sit; cùm S.Leo, S.Cyrillus Alexandrinus, & Andreas Cretensis Episcopus suis eam orationibus exornarint, quæ in Laurentij Surij voluminibus leguntur. Si ergo frequentatum olim Transfigurationis Christi festum irritum factum est à Concilio Prouinciali Senonensi sub Stephano de Poncher Senonum Archiepiscopo, & à Iacobo Camusio Sagiensi Episcopo vt antea in capitibus XXXVII. & XLI. ostendimus: cur non etiam Circumcisionis festum poterit à nostris Pontificibus irritum fieri?

III. Dies ille festus, quantumuis appelletur *Circumcisio Domini*, vel *Circumcisio* solùm in Martyrologio veteri quod S. Hieronymi nomen præ se fert, nec tamen est S. Hieronymi: & in Concilio II. Turonensi, can.XIII. & in

Benedictione quæ habetur illo die apud S. Gregorium in libro Sacramentorum : & in Concilio Remensi, an. dcxxx. can. xx. & in lib. vi. capitul. Karoli Magni, cap. clxxxvi. & in Concilio Oxoniensi an. mccxxii. & in Concilio Tolosano an. mccxxviii. & in lib. ii. Decret. tit. ix. de feriis, cap. *Conquestus*. Et in VVigorniensi Synodo, an. mccxl. & in Exoniensi Synodo an. mcclxxxvii. & in Decreto Stephani Erundel Cantuariensis Archiepiscopi. Quantumuis VVandolbertus in Martyrologio metricè scripto diem illam sic describat.

*Sanctâ Christi de Virgine nati*
*Circumcisa caro, Iani sacrat ecce Kalendas.*

Quantumuis denique dies ille in Rosvveidi Martyrologio, quod falso vocant Romanum vetus, *Octaua Domini & Circumcisio*; in Præfatione Missæ Kalendarum Ianuarij in libro Sacramentorum S. Gregorij, *Circumcisionis dies & Natiuitatis Octauus*; in Vsuardi Martyrologio ex editione Molani, *Octaua Natiuitatis Domini & Circumcisio Domini nostri Iesu Christi secundum carnem*; & in Romano Martyrologio vulgari, *Circumcisio Domini nostri Iesu Christi & Octaua Natiuitatis eiusdem*, nominetur : Nihilo secius tamen antiqui Scriptores, quotquot ferè de diuinis Officiis egerunt, siue in Codicibus editis, siue in MSS. *de Octaua*, siue, *de Octauis Domini*, libros siue tractatus

tractatus ſuos inſcripſere. Ita enim legitur in libro Sacramentorum S. Gregorij, *Kalendis Ianuarijs, in Octauis Domini*; ita Kalendarium Romanum à Frontone editum, *In Octauas Domini*; ita Ordo Romanus, *In Octauis Domini*; ita Albinus Flaccus in lib. de diui. off. cap. III. *de Octaua Domini*; ita Amalarius Fortunatus in lib. IV. de Eccleſ. Off. cap. XXXII. *de Octauis in Natiuitate Domini*; ita Michrologus in lib. de Eccleſ. obſer. cap. XXXIX. *de Octaua Domini*, ita demum S. Vdalricus in antiquiorum conſuetudinum Cluniacenſis Monaſterij cap. XLVII. *Octaua Natalis Domini*, &c. Apud Acherium in tom. IV. Spicilegij veterum Scriptorum. Præterea ſic habet Chrodogangus Metenſis Epiſcopus in Regulæ Canonicorum cap. LXXIV. *In Octaua & in Epiphania Domini*; ſic Karolus Magnus in Capitul. lib. I. cap. CLXIV. *Octaua Domini*; ſic Ludouicus Pius, ſeu Lotharius eius filius, in lib. II. capitul. cap. XXXV. *Octauas Domini*; ſic Haito Baſileenſis Antiſtes in Capitulari, cap. VIII. *Octaua Domini*; ſic Concilium Aquiſgranenſe II. in can. XLVI. Append. I. ad Capitularia regum noſtrorum, *In Octauis Domini*; ſic Herardus Turonenſis Epiſcopus in Capitul. cap. LXI. *Octauis Domini*; ſic VValterius Aurelianenſis Præſul in capitul. cap. XVIII. *Octauas Domini*; ſic Synodus MS. apud eruditiſſimum Feronium, *Octaua Natalis Domini*, ſic Ado in Martyrologio, *Octaua Domini*; & ſic Corippus poëta Chriſtianus in lib. IV.

*Lex Octaua nouo nascentis lumine Christi.*

Ex quibus Scriptoribus colligendum arbitror Kalendarum Ianuariarum diem, *Octaua Domini*, titulo potiùs quàm *Circumcisionis*, insigniendum. *Cùm* enim *eodem die* (inquit Baronius in Notis ad Rom. Martyrol. ad diem 1. Ianuarij) *Circumcisio Domini nostri præcipuè coleretur, inde factum est vt etiam Circumcisionis Dominica nomine insignitus reperiatur.*

Sed etsi daremus diem illum debere à *Circumcisione Domini* nominari: non tamen à *Circumcisione Domini* festum esse, sed ab *Octauis*, seu *Octaua Domini*, esset confitendum. Nam Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus in lib. v. Rational. diuin. off. cap. xv. *festum non fieri de Circumcisione, sed de Octaua Natalis Domini* testatur. Ac proinde Kalendis Ianuariis festum *Octaua* siue *Octauarum Domini* agitatum olim fuisse dicendum videtur, non verò *Circumcisionis Domini*. Atqui festum eiusmodi priuatum fuisse solummodo, neque eo modo à fidelibus populis. Cùm cultum, quo à nobis Christiana sollemnia, ab omni opere ac labore libera, coluntur, vel hoc vnum indicat, quòd Octaui festorum dies, quamquam sollemni ritu priuatim dumtaxat in Ecclesijs fuerint celebrati, numquam operum & laborum requiem sibi adiunctam habuerint. Octauam Theophaniæ, Ordo Romanus; eamdem Amalarius Fortunatus in lib.

IV.

IV. de Eccleſ. off. cap. XXXIX. itemque in lib. de Ordine Antiphonarij, cap. XXV. & cap. XXXVI. Octauas Natalitiorum Sanctorum commemorat: meminit Vſuardus in Martyrologio, meminit Romanum Martyrologium, meminere innumera Martyrologia Octauarum S. Stephani, S. Ioannis Euangeliſtæ, SS. Innocentium, & aliarum: neque tamen illæ feſtæ aut feriatæ ſunt apud nos. Quare igitur feſta aut feriata erit *Octaua*, ſeu *Circumciſio Domini*, cùm præſertim feſtorum Chriſto Domino dicatorum numerus ſatis abundet?

IV. Cùm feſti dies lætitiæ dies ſint & gaudij, quemadmodum fuſiùs infra probabitur: atque in *Octauâ Domini* antiquitus ſtatutum ſit in Eccleſia jejunium, de quo S. Ambroſius in ſerm. XI. de Kal. Ianuarij edit. Romanæ, S. Auguſtinus in Pſal. II c. Ordo Romanus in huius diei officio. Et Albinus Flaccus in lib. de diuin. off. cap. IV. Statutæ Litaniæ, ſicuti habetur in Concilio Turonenſi II. Can. XIII. ac denique in Synodi Toletanæ IV. cap. X. ne eâ die *Alleluia* (quod lætitiæ & exſultationis Canticum eſt) caneretur, ſtatutum fuerit his verbis: *Statuimus vt in omnibus diebus Quadrageſimæ* Alleluia *non cantetur, quia tempus mœroris eſt. In temporibus verò reliquis, id eſt Kalendis Ianuarijs, quæ propter errorem Gentilium aguntur, omnino* Alleluia *non decantabitur*; apertiſſimum inde argumentum elicitur, antiquis illis Eccleſiæ temporibus actum non fuiſſe Circumciſionis feſtum. Quod ſi non actum olim, cur hodie actum reſcindi non poſſet.

v. Sed fac reipſa celebratum apud Chriſtianos fuiſſe olim Circumciſionis Dominicæ feſtum: cùm ratio propter quam inſtitui potuit, iam non vigeat ampliùs; non videtur eſſe cur iam non poſſit diſſolui. Sublatâ enim causâ, effectum tolli neceſſe eſt, ſi Philoſophos audiamus. Inſtitui autem potuit feſtum ejuſmodi ad abolendas atque exterminandas Gentilium, quæ Kalendis Ianuarijs in vſu erant, ſuperſtitiones. *Vt enim illi* (inquit in loco iam citato Baronius) *multiplicatis victimis, auctis ſuperſtitionibus, indecoris corporis motibus choreas ducentes, dapium publicarum ingluuie, nefandis cruentiſque ſpectaculis fœdabant potius diem, quàm colebant: Sic* Chriſtiani *contrà ſummâ illum ſanctitate ac puritate tranſigere ſtudebant: atque vt illorum ſuperarent impietates & in Deum injurias quodammodo vindicarent, propenſiori ſtudio additis jejuniis & Litanijs, quibuſdam velut expiationis hoſtijs, diuinum offenſum numen placare ſatagebant.*

Quænam verò ſuperſtitiones illæ apud Ethnicos illo die receptæ? De his ita concionantem ſerm. clv. S. Petrum Chryſologum auſcultemus: *Vbi noſtram Chriſtus piè natus eſt ad ſalutem, mox diabolus diuinæ bonitati numeroſa genuit & pernicioſa portenta, vt ridiculum de religione componeret, in ſacrilegium verteret ſanctitatem, de honore Dei Deo pararet injuriam. Hinc eſt, fratres, hinc eſt quod hodie Gentiles Deos ſuos fœditatibus exquiſitis; excogitato dedecore & ipſa turpitudine turpiores Deos ſuos videndos trahunt, diſtrahunt, pertrahunt,*

quos

*quos faciunt non videndos. Quæ vanitas, qualis dementia, quanta cæcitas, fateri Deos & eos ludibrijs infelicibus infamare? Quæ ira, quæ vltio sic in Deum exequeretur offensum, vt eos quos vetustas aris, incenso, victimis, gemmis, auro, Deos esse mentita est, posteritas turpi cultu homines fuisse turpissimos iudicaret, & eorum vitam, mores, actus, ipsis eorum signaret in vultibus, ac doceret tales fugiendos esse potiùs quàm colendos? Quorum formant adulteria in simulacris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum titulant incesta picturis, quorum crudelitates commendant libris, quorum parricidia tradunt sæculis, quorum impietates personant tragædijs, quorum obscœna ludunt, hos quâ dementiâ Deos crederent, nisi quia criminum desiderio, amore scelerum possidentur, criminum Deos exoptant habere criminosos?* De illis præterea agit in Canone XVI. prædictum Turonense Concilium II.

Nec sanè superstitiosi ritus illi cum Ethnicis extincti sunt: sed miserabili quodam alueo ad Christianos homines, ad Christianos (pudet dicere) Sacerdotes & ceteros Clericos deriuati. Quid enim aliud erat famosum illud *festum fatuorum*, nisi turpes eiusmodi rituum reliquiæ? *A Gentilibus* (inquit Theologiæ Facultas Parisiensis in Epistola Prælatis & Capitulis Ecclesiarum regni Franciæ transmissa ad detestandum festum fatuorum: quam Epistolam publici juris fecit vnà cum alijs ad idem attinentibus, homo mihi maximè necessarius Petrus Gussauuillanus, in notis ad Petrum Blesensem) *venit hæc spurcitia,*

*atque*

*atque de reliquis gentilitatis est hæc festiuitas,* *licet* festum fatuorum *à suis fautoribus intituletur.* Quid porrò sacerdotes aliique clerici in *festo fatuorum*? Exponant illa eiusdem epistolæ verba : *sola spurcissimi Iani nefaria traditio in Kalendis Ianuarij huc vsque perseuerat, quam diabolica instructio sub vmbra Natiuitatis Domini & iucunditatis dierum natalitiorum, eiusdem sacerdotibus clericisque in multis huius regni Ecclesiis obseruandam tradidit, & eò deteriùs, quò deuotioni tantæ festiuitatis Saluatoris, & diebus illi dicatis, in quibus omni sanctimoniæ studere deberent, se ad spurca & immunditias conferunt & applicant, atque Ianum spurcissimum imitando, cultum Dei irrident & commaculant, dum ludibria Iani diuino seruitio permiscent : ludibria, inquam, talia qualia sacerdotes fanatici suis in templis & idolis fieri non permitterent. Nempe festa gentilium supradicta lenociniis, luxuriæ seruientia, non in templis sed in nemoribus aut in campis, aut in theatris villarum & à personis profanis agebantur. Hoc autem exsecrationis coagulum, quod vocatur* festum stultorum, *in Ecclesiis, in locis sanctificatis, & à personis Deo consecratis fit, & se exsecrando ac loca sacra profanando, Iani ritum concelebrant.* Vnde profectò nihil miræ rei est quòd superstitiosos ritus illos seruari vetuerit Concilium Turonense II. in can. XVI. vbi ait : *Quoniam cognouimus nonnullos inueniri sequipedas erroris antiqui qui Kalendas Ianuarias colunt, cum Ianus homo, gentilis fuerit, rex quidem, sed Deus esse non potuit. Quisquis ergo vnum Deum patrem regnantem cum filio & spiritu sancto credit, certè hic non potest integer*

*integer Christianus dici, quia aliqua de gentilitate custodit*; Et Concilium Romanum sub Zacharia Pontifice, in cap. IX. vt refertur à Gratiano in II. par. Decr. causa XXVI. Quæst. VIII. cap. XIV. in hunc modum: *Si quis Kalendas Ianuarias & brumam ritu Paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut mensas cum dapibus vel epulis in domibus præpararet, & per vicos & plateas cantiones & choros ducere præsumpserit, quod magna iniquitas est coram Deo, anathema sit.* Et S. Augustinus in cap. *non obseruetis*, ibidem; Et, vt alios omittam) Tertullianus in lib. de Idololatr. cap. XIV. vbi etiam strenas, Kalendis Ianuariis offerri solitas, & tantopere in Conciliis condemnatas, acriter insectatur.

Ergo cùm nunc diuino munere finem habuerint superstitiosi Gentilium ritus illi: ergo cùm nunc abjerint in fumum diabolicæ strenæ Kalendarium Ianuariarum: ergo cùm nunc *festi fatuorum* nulla supersint vestigia: quid obstare possit quominus nunc etiam finem habeat Circumcisionis Dominicæ festum, quod ad eorum omnium internecionem ruinámque præcipuè potuit à Patribus nostris imperari? Sicut enim in antiqua Ecclesia indictum Kalendis Ianuariis jejunium, indictæque litaniæ, cessantibus eiusmodi Gentilium superstitionibus cessauere: quare nunc superstitio sacerdotum ceterorúmque clericorum cùm cessauerit, cessare quoque non poterit Circumcisionis festum? Atque hæc ratio ex ordine Romano potissimum desumpta est, qui Kalendis Ianuariis

nuariis vult tantùm Octauas Dominicas (quas jam festis diebus minimè accensendas probauimus) *cum eximio cultu celebrari*. Hæc enim sunt illius verba : *Hæ Octauæ ideo reuerenter celebrantur, quia in hac die aduentum hominum ad Christum celebramus, & in Natiuitate eiusdem, aduentum illius ad homines. Sed quia imperiti homines secundum dementiam Gentilium, hunc diem Kalendarum Ianuariarum à principe suo Iano, quem pro Deo colebant, ita vocatum, multis diabolicis spurcitiis sacrauerunt : statuit vniuersalis Ecclesia jejunium publicum in isto die fieri, quatenus his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret. Sed quia Domino largiente hæc à fidelibus pro nihilo habentur, in eisdem Kalendis nihil aliud noui præsumendum est, excepto quòd Octauæ Dominicæ cum eximio cultu celebrentur.*

VI. Denique, Synodus Galonis & Simonis, Apostolicæ sedis legatorum, à Bochello memorata in lib. IV. Decret. Eccles. Gall. tit IX. cap. XIII. Circumcisionis Dominicæ festum diem cùm resecuerit : eum quoque ab Episcopis nostris resecari posse quis non vltrò concesserit ?

Quia tamen Episcopis æquè ac Corinthiis ceterisque Christianis dictum olìm à S. Paulo in ep. I. ad Cor. cap. X. *Sine offensione estote Iudæis & gentibus & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quòd multis, vt salui fiant.* Christi Circumcisionis festum posset ad Dominicam diem proximè sequentem reuocari. Cùm enim Octaua sit Natiuitatis Dominicæ, & *Natiuitatis Dominicæ*

*minica* (inquit Micrologus in cap. XXXVII.) *vsque ad Epiphaniam, memoriam agamus*, ac necesse sit *infra hunc terminum occurrentes Dominicas officium de Natiuitate possidere*: quid erit incommodi si Circumcisionis Domini festum pariter ac officium in die Dominica proximè consequenti fiat, ipsis autem Kalendis Ianuariis manualia opera exercendi licentia operariis impartiatur. Hinc profectò nullam Ecclesiasticorum officiorum perturbationem futuram in capite sequenti commonstrabimus.

## CAPVT XLIX.

*Optandum esset vt Epiphaniæ Domini dies sacra vel tolleretur omnino, vel eodem celebraretur tempore quo Christi Natalis, vt olim apud Ægyptios, vel in Dominicam propriùs insequentem refunderetur.*

ANtiquissimum est in Ecclesia Epiphaniæ, seu (quemadmodum vocant alii) Theophoniæ Christi Domini festum, multísque multorum illustrium virorum laudibus commendatum. Illud semper suâ præsentiâ dignabantur imperatores Christiani, & etiam qui in Christianam religionem erant malè adfecti. Iulianus enim insignis ille ἀποστάτης, cùm in Galliis

liis ageret, Epiphaniorum die cum ceteris Christianis sacris Ecclesiæ mysteriis adesse voluit, vt testatur Ammianus Marcellinus in lib. xxi. historiæ, his verbis, *Et vt hæc interim celarentur, feriarum die quem celebrantes mense Ianuario Epiphaniam dictitant, progressus in Ecclesiam, solemniter numine adorato discessit.* Idem etiam à Valente Ariano Imperatore factum, auctor est S. Gregorius Nazianzenus, in orat. de laud. Basilij. Honorificam quoque Epiphaniorum festi mentionem fecere SS. Patres, Ioannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Leo, Maximus, Petrus Chrysologus, Bernardus & alij bene multi.

Et verò ea dies tot ac tantis claratur miraculis, tot ac tantis illustratur mysteriis, vt in Ordine Romano *secunda Natiuitas Christi, primâ honoratior* appellatur. *Nec hoc prætereundum est* (inquit) *quòd secunda Natiuitas Christi tot illustrata mysteriis, honoratior sit quàm prima. Tunc tantummodo natus est Christus, & Angelus pastores ad fatus est: hodie verò à Magis cum muneribus est adoratus. Hodie cùm in Iordanis aquis tingeretur, filius dilectus à patre est vocatus de cœlo, & Spiritus sanctus in specie columbæ super eum visus est, nec non per baptismi Sacramentum caput draconis est contritum. Hodie ex aqua vinum, factum est, eidémque cœlesti sponso Ecclesia coniuncta est. Insuper & quinque millia hominum ab eo refecta sunt. Et ideo manifestatio interpretatur, quia in his manifestare se hominibus dignatus est.* Ipsâ quoque Epiphaniorum die, Episcopi subiectæ sibi plebi Paschalis festi celebrationem, singu-

lis

lis annis denuntiabant, vti ſtatutum videmus in Concilij Aurelianenſis IV. an. DXII. celebrati can. I. his vocibus: *Placuit vt ſanctum Paſcha, ſecundum laterculum Victoris, ab omnibus ſacerdotibus vno tempore celebretur. Quæ feſtiuitas annis ſingulis ab Epiſcopo Epiphaniorum die in Eccleſiis denuntietur.* Quod & innuere videntur iſta Concilij Toletani IV. can. IV. vocabula: *Placuit vt ante tres menſes Epiphaniorum, Metropolitani ſacerdotes literis ſe inuicem inquirant, vt diem Reſurrectionis Chriſti comprouincialibus ſuis inſinuent, & vno tempore celebrandum adnuntient.* Addit etiam ex Caſſiani collatione x. cap. II. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in lib. I. de diuin. off. cap. XXVI. in omnibus Ægypti Eccleſiis ac monaſteriis, non ſolùm Paſchæ diem, ſed & quadrageſimæ initium in Epiphaniæ feſto, Pontificis Alexandrini nomine denunciari. Sic enim habet: *Epiſtolæ pontificis Alexandrini ad vniuerſas Eccleſias Ægypti vel monaſteria diriguntur, quibus & initium quadrageſimæ, & dies Paſchæ denunciantur.* Hoc ipſum quoque in aliis quàm in Ægyptiacis Eccleſiis obſeruatum diſcimus ex Concilij Antiſſiodorenſis can. II. *Vt omnes presbyteri ante Epiphaniam miſſas ſuas dirigant qui eis de principio quadrageſimæ nuncient & in ipſa Epiphania ad populum indicent.* Quamquam vtrumque *adueniente Natalis Domini die,* non Epiphaniorum, exequendum ita ſtatuat Concilium Bracarenſe II. coactum an. DLXXII. in can. IX. *Adueniente Natalis Domini die, poſt lectionem Euangelicam, ſuperuenturum ipſius anni Paſcha, quotâ Kalendarum die, vel quotâ lunâ*

debeat

*debeat suscipi, à sacerdotibus nuntietur populo, & quadragesimæ jejunüs populo seruire præcipiant.* Quod ad diuersas diuersarum Ecclesiarum consuetudines videtur referendum, nisi (quod plerique sentiunt) vt S. Epiphanius in Hæres. LI. Et Suidas in verbo ἐπιφάνια Epiphaniæ seu Theophaniæ nomine Christi natalem accipias, quod ad conciliandos illorum Conciliorum locos non parùm conduceret. Non videtur autem heic prætermittendum silentio in Ecclesia Mediolanensi hodie quoque denuntiari Paschatis solemnia ipso Epiphaniorum die. Infra Missam enim post recitatum Euangelium Diaconus ita adstantem populum alloquitur: *Nouerit Caritas vestra, fratres Carissimi, quod annuente Dei & Domini nostri Iesu Christi misericordia die N. mensis N. Pascha Domini cum gaudio celebrabimus.* Qua de re decretum illud exstat in Synodo V. Diœcesana Mediolanensi: *Archidiaconi Metropolitanæ nostræ Ecclesiæ sit, in Epiphaniæ solemnitate Paschæ celebritatem denuntiare.*

Atqui hæc omnia quæ de Epiphaniorum seu *Adparitionis* die (vt vocat Guigo Carthusiæ majoris v. Prior generalis in cap. LI. Statutorum) à summis viris, atque à testibus omni exceptione majoribus dicuntur, magna sunt, illustria, magnifica, & Christianorum consideratione dignissima: Attamen habitâ nostrorum temporum ratione, ea non videntur esse vt Episcopos à rescindendo eiusmodi festo debeant remouere. Quaproptèr optandum esset maximè vt illud vel prorsus demerent

rent (quemadmodum Synodus Simonis & Galonis) propter ludicra oblectamenta, & varias Gentilium superstitiones quæ in priuilegio, atque etiam in ipsâ Epiphaniorum die plerisque à Christianis inter compotandum & conuiuandum adhibentur: (Sublatum quippe in Synodo Galonis & Simonis Innocentij III. Legatorum in Gallias, apud Bochellum legimus in lib. IV. Decret. Eccles. Gall. tit. IX. cap. XIII.) vel vno & eodem tempore agendum præciperent, quo Christi Domini secundùm carnem ortus edicitur obseruandus, quemadmodum Theophilus Alexandrinus Episcopus in proæmio Paschalis Epistolæ, per omnes Ægypti Ecclesias agi adseuerat, & Ioannes Cassianus ita commemorat in cap. II. collat. X. *Intra Ægypti regionem mos iste antiquâ traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die (quem prouinciæ illius Sacerdotes vel Dominici baptismi, vel secundùm carnem Natiuitatis esse definiunt, & idcirco vtriusque Sacramenti solemnitatem, non bifariam, vt in occiduis prouincijs, sed sub vnâ diei huius festiuitate concelebrant) Epistolæ Pontificis Alexandrini per vniuersas diriguntur Ægypti Ecclesias.*

Si enim ita res haberet apud nos atque apud Ægyptios, multorum procul dubio criminum occasio subtraheretur in quæ Christiniani complures ex prauâ ac diabolicâ consuetudine prolabuntur, nullâ aliâ se tuentes ratione, quàm quia sic viuitur, vel sic à patribus suis, viuendum accepere. Quasi vero consuetudinem potiùs quàm Deum audire debeamus.

debeamus. Quaſi verò illa retinenda ſit conſuetudo, quæ mores inficit, ac veri Dei cultum impugnat. Annon enim prophana Epiphaniæ conuiuia, in quibus conuiuantes vt plurimum potitant plus æquo, cibis ſe ſe ingurgitant, & laſciua miſcent colloquia, bonos mores, labefactare cenſenda ſunt? Annon ſuperſtitioſa illa Phæbi inuocatio, in Deum opt. max. qui in Scripturis ſacris *Zelotes* dicitur, & *gloriam ſuam alteri non dare*, injurioſa eſt & contumelioſa? Scio eſſe qui famoſum *Phæbe* deducant à *Faba* quæ in placentis eo die feſto epulantibus adponi ſolitis latitat, eſtque ludicri ac paucarum horarum regni judicium; ita vt patrefamilias aut alio conuiuatore pronuntiante *Phæbe*, ac deinde *cuius erit*, nihil innuatur aliud quàm *Faba cuius erit*, hoc eſt, *Quis nobis rex erit*? Scio & alios eſſe qui *Phæbe*, *κατ' ἀποκοπὴν* dictum velint pro *ephæbe*: propterea quòd initio prandij vel cœnæ, vulgò Ephæbum ſubter menſâ repoſitum conuiuator eâ voce compellat, *Ephæbe*. Sed metuerem ego ne & qui *Phæbe* à *Fabâ*, & qui ab *Ephæbe* deriuant, ſuperſtitioſam illam Phæbi, falſi numinis inuocationem, conentur hoc commento reddere plauſibiliorem. Quid enim varias vnius vocis interpretationes quaſi obtorto collo in vadimonium pertrahere opus eſt, vbi res per ſe ipſa clariſſima eſt, nullis ambagibus implicita nullíſque verborum Phaleris obuoluta? Quid oportet nodum in ſcirpo quærere! Phæbum profectò Gentilium more (quamquam

non

non malo animo) inuocat quiſquis paulò ante Epiphaniorum conuiuia, in ipsâ placentarum diuiſione, puerum menſæ ſubiectum ſic interrogat, *Phœbe, cuius erit?* Siccine verò Chriſtianis populis frequentandi ſunt feſti dies? Siccine Deum, in cuius honorem inſtituti ſunt feſti dies, & Sanctos colimus, veneramur? *Nobis* (præclarè ait Nicolaus Clemangius in lib. de nouis celeb. non inſtit.) *Si rectè feſta celebramus, totus ipſius celebritatis obuenit fructus, quæ propter noſtram ſunt ſalutem excitandámque deuotionem ordinata, vt in Sanctorum Natalitijs parumper à curâ carnis, atque à corporali labore, qui propter illam ſuſcipitur, ſequeſtrati, animæ curam agamus, animæ commodo, laboremus. Quia enim diurnis laboribus, in curáque rei familiaris aut tuendæ aut amplificandæ plerumque aut ex humana infirmitate, aut ex incuria vel cupiditate peccatum interuenit, ſtatuti ſunt dies feſti ac Dominici, vt in illis homines à terrenis curis ſoluti, ad cor redeant, ſéque recolligant, ſuam conſcientiam diſcutiant, ſua peccata recogitent, & quidquid ſe deliquiſſe ſedulâ inueſtigatione cognouerint, contritione tergant, lacrymis abluant, vigili oratione purgent, eleemoſynis redimant, Chriſti & Sanctorum inuocatione ſibi ignoſci ac remitti cum ſincera intentione de cetero à ſimilibus abſtinendi efflagitent. Neque enim verè pœnitens eſt aut veniâ dignus qui ad vomitum redire proponit, vt autem ad agenda iſta magis excitetur affectus, diuinis debent illis diebus diligentiùs intereſſe myſterijs, Miſſam & verbum Dei ſedulò audire; quod dura maximè ſolet corda, ſi attentiùs*

*attentiùs audiatur, emollire, imo mundare, ſicut Chriſtus ad diſcipulos ait:* Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis. *Debent præterea geſta & virtutes Sanctorum, quorum ſollemnia aguntur, ſtudioſè meditari & conſiderare, &, ſi illa non audierint, à peritis inquirere, ad iſtorum formam atque exemplum ſuam, pro modulo fragilitatis, vitam componere, & ſi cuncta imitari non ſunt idonei, aliquorum ſaltem, licèt impari paſſu, debent veſtigia æmulari. Debent denique illorum patrocinia ſupplici prece poſtulare, vt in ſuo ſibi natalitio proprij interceſſores adſint. Veriſimile enim eſt Sanctos in ſuis feſtiuitatibus pro illis qui eos dignè colunt, propenſiores quodammodo eſſe ad intercedendum, quàm alio tempore, Chriſtúmque ad exaudiendas eorum interceſſiones etiam procliuiorem. Super omnia autem honeſtè ſe gerant, peccata ſummopere caueant, vt purè & dignè feſtum celebrando, tales ſe præbeant, pro quibus meritò apud Chriſtum Sancti rogare debeant, & pro quibus etiam Chriſtus illos exaudire.* Quæ autem vir ille clariſſimus diebus feſtis agenda præſcribit, quis in Epiphaniæ feſto die exſequitur? *Sed non omnium eſt,* (S. Bernardi verba ſunt in ſerm. III. in aduen. Rom.) *quod ait Propheta,* Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: *Siquidem nec omnes hac memoria paſcit. Sanè nemo quod non guſtauit, ſed neque quod tantùm guſtauit, eructat. Ructus quippe non niſi de plenitudine & ſatietate procedit. Propterea quorum ſecularis eſt mens & vita, memoriam hanc, etſi celebrant, non tamen eructant: ſine deuotione & affectione dies iſtos aridâ quadam conſuetudine obſeruantes.*

*obseruantes. Denique, quod damnabilius est, ipsa quoque inæstimabilis huius dignationis memoria datur in occasionem carnis, vt videas eos tantâ sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias, ac si hæc & huiusmodi quærat in Natiuitate sua Christus, & ibi suscipiatur digniùs vbi hæc accuratiùs exhibentur.*


Quòd verò de Circumcisionis Dominicæ celebritate in extremo capite superiori diximus, eam videlicet in Dominicam diem proximè sequentem rejici posse; idem quoque heic de Epiphaniæ festo profitemur, quandoquidem Dominicâ quæ *infra Octauam Epiphaniæ* nominatur, & Epiphaniæ festum proximè sequitur, officium in Ecclesiâ fiat de Epiphania.

Neque ideo, si ad Dominicas dies referantur illa duo festa, Ecclesiasticus ordo interturbabitur vllo pacto. Tunc enim solummodo potest interturbari quando minùs præcipuis celebritatibus in Dominicas refusis, omisso Dominicarum officio, quod antiquissimum est & nobilissimum, ac seruatâ tantùm illius commemoratione, celebritatum huiusmodi officium persoluitur. At verò cùm Circumcisionis & Epiphaniæ Domini solemnia, maxima fuit ac celeberrima, habeántque *Octauas majores*, vt vocat Radulphus à Riuo in lib. de Canon. obser. proposs. XIX. & Dominicis diebus quæ illa propiùs consequuntur, Circumcisionis seu Natiuitatis Domini & Epiphaniæ officia peragantur; etiamsi ad eiusmodi Dominicas reuocentur, Ecclesiasticus tamen ordo illibatus

& integer perseuerabit. Sed referenda sunt Micrologi verba, quibus tota hæc ratio nostra innititur. Sic ait in cap. XXXVII. lib. de obser. Ecclesf. *Si Natiuitas Domini, vel aliqua subsequentium solemnitatum in Dominica euenerit officium :* Dum medium silentium ; *post Natalem Innocentium ad priuatos dies congruè seruatur, sicut & in aliis Dominicis agimus, si quando celebrius in iis festum habuerimus. Vnde etiam idem officium Romano more repetitur, si quando ab Octaua Domini vsque ad Epiphaniam Dominica euenerit. Omnis enim Dominica à Natiuitate Domini vsque ad Epiphaniam, ex antiquâ traditione illud obtinebit, quæ tamen celebriori festo occupata non fuerit. Nam cùm hoc officium de Natiuitate Domini agat, conuenientissimè illis Dominicis adaptatur, quæ & reliqua officia de eadem sollemnitate solent obtinere. Hoc autem SS. Patres in dispositione officiorum summopere procurarunt, vt officium semper instanti celebritati concordaret, ne clerus aliud quàm populus in Ecclesiasticis celebritatibus obseruaret. Præterea omnes Dominicæ sollemnitates sibi inuicem affines hoc habent priuilegium, vt obseruatio earum ad inuicem continuetur, vt Resurrectionis, vsque ad Adscensionem, & Adscensionis vsque ad Pentecosten commemoramus, & omnes Dominicas iis solemnitatibus interpositas de iisdem inofficiamus. Sic quoque & Natiuitatis Dominicæ vsque ad Epiphaniam memoriam agimus, nisi inquantum festis Sanctorum vel Octauis eorum satisfacere cogimur. Eodem quoque modo infra hunc terminum occurrentes Dominicæ officium de Natiuitate possidebunt.*

Addi postremò potest in nostræ de imminuendo

nuendo Epiphaniæ feſto, opinionis confirmationem, ſatis adhuc frequentem futurum Chriſti Domini celebritatum numerum, etiamſi & Circumciſionis & Epiphaniæ ipſius ſolemnia decidantur. Remanebunt enim totius anni Dominicæ dies omnes; Sanctum Paſcha; Chriſti Natalis, ſeu Theophania, vt appellat S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in Chriſti Natiuitatem; & Corporis Chriſti feſtum.



## CAPVT L.

### *Conceptionis beatæ Mariæ celebritas adimi poteſt.*

QVemadmodum ſanctiſſimæ Virginis Mariæ feſtorum dierum, tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, nullum exſtat apud illorum temporum Scriptores monumentum, decidi poſſet ex eorum numero Conceptionis feſtum, quod apud Latinos ſexto, apud Græcos autem quinto Idus Decembres agitatur, ſicut iſta conſtitutionis Emmanuelis Comneni verba declarant apud Photium in Nomocanone, tit. VII. cap. I. ἡ θ'. τοῦ δεκεμβρίου, ὡς τῆς συλλήψεως ἐν αὐτῇ πληρωθείσης τῆς ὑπερευλογημένης μητρὸς τοῦ θεοῦ.

Primæuam illius feſti inſtitutionem viſioni ſeu reuelationi cuidam deberi, in confeſſo eſt apud Eccleſiaſticos ſcriptores recentioris ætatis. At cui tandem reuelationi? Nam adferun-

tur quatuor,Cadmæis militibus similes,mutuo vulnere sese confodientibus. Vnde non magna admodum Conceptionis beatæ Mariæ festo accedere auctoritas videtur.

Primam adducit Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus, in lib. I. Catalogi,cap.XLII. his verbis: *Hujus celebrationis festi initium fuit beatus Anselmus Prior Monasterij Beccensis, postmodùm Cantuariensis Archiepiscopus, propter miraculum quod eidem adparuit, quod tale fuit. Dum enim ipse tunc dicti Monasterij Prior pro quibusdam vrgentibus ad partes Britanniæ nauigasset, dispositisque agendis repatriaret, contigit tempestate nimiâ exortâ & intumescente procellâ nauem periclitari: & dum cuncti in discrimine nimio positi, omnique spe humanâ deserti diuinum adiutorium & beatæ Virginis flagitarent, potissimè autem Prior Anselmus, qui beatæ Dei genitricis fuerat singularis deuotus: subitò conspiciunt quemdam mirabili claritate fulgentem, Pontificali habitu decoratum, super vndas maris versus nauem ambulando venire. Qui proximus naui Anselmum vocat, eúmque adloquitur, vt si periculum maris euadere cupit, & in patriam saluus redire, eidem promittat coram Deo, quòd festum Conceptionis matris Christi, annis singulis sollemniter celebraret, & celebrandum quibuscumque poterit suaderet. Et cùm ille de die festi & officio fiendo interrogasset, respondit quod* VI. *Idus Decembris festum illud celebrandum erat, quo die beata virgo concepta fuerat, & quòd idem officium quo Ecclesia vtitur in eius Natiuitate, in hoc festo dicendum erat, mutato solùm nomine Natiuitatis in nomen*

Conce

*Conceptionis. Et cùm Prior de nomine nuntij interrogasset, respondit se esse Nicolaum Episcopum à beata Dei genitrice pro tali reuelatione & eorum liberatione transmissum. Mox Anselmus jussa promisit, & voto interposito confirmauit, statimque sedatâ tempestate & flante vento prospero ad propria redierunt. Et sic ab eodem Anselmo prius in Monasterio suo, & deinde in Ecclesia Cantuariensi, cui præfuit, dictum festum celebrari cœpit. Deinde in pluribus Ecclesijs huiusmodi consuetudo inoleuit, vt festum Conceptionis beatæ Virginis* VI. *Idus Decembris & in Kalendariis adscribatur, & sollemni officio recolatur.* Eadem est de festi Conceptionis beatæ Mariæ primordiis, plerorumque sententia, quæ Petri de Natalibus.

Tres alias reuelationes recenset Iacobus de Voragine, Ianuensis, è FF. Prædicatorum instituto, in *Legendâ aureâ*, siue, vt aliter vocatur, *Historiâ Lombardica*, cap. CLXXXV. vbi ait: *Audientes Daci Angliam esse subjectam Normanis, grauiter indignati, eo quod suo hereditario quasi jure priuarentur, arma præparant, classem adaptant, vt eos adeuntes, datâ sibi diuinitus patriâ expellant. Hoc comperto rex prudentissimus Guillelmus Helsimum quemdam religiosum Abbatem Remensis cœnobij accersitum in Daciam dirigit vt veritatem huius rei inquirat. Ac ille, vt vir admodum sagacis ingenij, strenuè negotium regis exequitur. Quo fideliter peracto ad Angliam cupiens reuerti, mare ingreditur, & jam maximam partem maris prospero cursu transierat, cùm subitò densis surgentibus vbique ventis, horrida tempestas commouit vndas. Fatigatis igitur nautis nec*

*vltra obniti valentibus, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis, spes omnis salutis amittitur, nihil nisi subitæ mersionis indicium denique expectatur. Cúmque de salute corporum desperati, animarum curam solummodo creatori suo magnis clamoribus deuotè commendarent, & beatam Dei genitricem, miserorum scilicet refugium, & desperantibus spem deuotè reclamarent: ecce subitò conspiciunt quemdam venerandæ habitudinis virum, Pontificali infula decoratum, quasi inter medias vndas stantem naui proximum, qui aduocans ad se Abbatem Helsimum, his verbis cœpit compellere ,, dicens:* Vis, *inquit*, periculum maris eua- ,, dere? vis in patriam sanus redire? *Cúmque ille cum flexu se id toto corde desiderare & id ,, solum expetere respondit: Tunc ille,* Scias, *in- ,, quit*, me ad te Missum à Dominica mea Dei ,, genitrice Maria, quam tam dulciter & de- ,, uotè reclamasti: & si dictis meis obtempera- ,, re volueris, sanus cum tuis comitibus im- ,, minens periculum maris te euadere promit- ,, to. *Spondet illico se ei in omnibus obtemperatu- ,, rum si hoc euaderet periculum.* Promitte (*in- ,, quit ille*) Deo & mihi quòd diem Conce- ,, ptionis matris Christi sollemniter & an- ,, nuatim celebrabis, & celebrandum prædica- ,, bis. *Et ille, vt vir prudentissimus*, & quis ,, (*inquit*) dies mihi hoc festo erit celebran- ,, dus? Sexto (*ait*) idus Decembris hoc festum ,, sollemnisandum tenebis. Et quo (*inquit Ab- ,, bas*) seruitio vtemur in Ecclesiastico officio? ,, Omne (*inquit*) seruitium quod dicitur in ,, eius Natiuitate, dicetur & in Conceptione

eius,

„ eius, excepto quod nomen Natiuitatis mu-
„ tabitur in nomen Conceptionis. *His dictis ille disparuit, & citiùs dictu sedatâ tempestate, Abbas cum suis incolumis concito vento flatu applicuit Anglicanis littoribus & ea quæ viderat & audierat, quibus potuit notificauit, statuitque in Remensi cœnobio idem festum solemniter celebrare, & ipse quoadusque vixit deuotis obsequijs deuotè celebrauit.* Huic narrationi conueniunt, quæ Baronius *In antiquo Codice MS. cuius exordium est.*
„ Eo tempore quo Guillelmus, &c. Legi commemorat in Notis ad Romanum Martyrologium, ad diem VIII. Decembris; vbi & Helsinum Abbatem (quem *Elpinum* & *Elsinum* nominat) *temporibus quibus* S. Anselmus *factus est Episcopus non claruisse, sed paulò ante, circa annum Domini* MLXX. *cùm Guillelmus Normanorum Dux regnaret in Anglia.*

*Rursum hæc sollemnitas* (inquit Iacobus de Voragine) *alibi alio modo declaratur. Tempore namque Karoli Regis Francorum illustrissimi Clericus quidam ordine, Hungariæ Regis Germanus, matrem Iesu toto corde diligens, eius horas solicitus decantabat, parentum suorum consilio nubere volens cum quadam adolescentula valde pulcerrima, accepta à presbytero nuptiali benedictione: quadam die Missa etiam celebratâ, recordatus quòd eiusdem beatissimæ Virginis horas illâ die juxta morem solitum non cantauerat: sponsam domum mittens omnes ab Ecclesia exire coëgit, & ipse juxta altare beatæ Virginis solus remansit. Cùm ipse horas Dominicæ matris decantaret & hanc Antiphonam*
„ (Pulchra es & decora filia Ierusalem) *dice-*

„ *ret: subitò adparuit ei virgo cum duobus Ange-*
„ *lis, dexteram ei manum & lauam tenentibus:*
„ *dicens ei:* Si ego sum pulcra & decora, quid
„ est quod dimittis me & sponsam aliam acci-
„ pis? Numquid ego sum optimè formosa?
„ Numquid ego sum pulcrior illâ? Vbi vidisti
„ tam pulcram? *Cui ille stupefactus ait:* Domi-
„ na mea dulcissima, claritudo tua omnem
„ mundi pulcritudinem excellit & clarificat,
„ quoniam tu es super omnes choros Angelo-
„ rum exaltata, & super cælos cælorum eleua-
„ ta. Quid vis, Domina, vt faciam? *At illa:*
„ Si sponsam carnalem cui adhærere vis, amo-
„ re mei dimiseris, me sponsam in cælesti re-
„ gno habebis. Etsi Conceptionis meæ festum
„ annuatim vi. id. Decemb. sollemniter cele-
„ braueris & celebrandum prædicaueris, me-
„ cum in regno filij mei laureatus eris. *His dictis beata Virgo disparuit. Clericus verò domum adire renuit, & absque parentum suorum consilio ad Abbatiam quamdam extra patriam illam perrexit, & ibidem Monachali habitu decoratus: & post tempus exiguum meritis beatæ Mariæ virginis Aquilæ Episcopus Patriarcha factus festum Conceptionis beatæ Virginis die præfato, quamdiu vixit, annuatim cum proprijs Octauis diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.*

*Aliud etiam miraculum huius festiuitatis alibi diuinâ inspirante gratiâ à nobis declaratur. In pelago Gallico Canonicus quidam ordine Sacerdos solitus beatæ Mariæ Virginis horas Canonicas decantare, à villâ quadam vbi cum vxore alterius fornicatus fuerat, rediens, ad oppidum in quo morabatur*

*tur tendere curans*, & *pelagus Secanæ transmeare cupiens, solus nauim ingressus, Dominicæ matris horas nauigando canere cœpit. Cúmque inuitato-*
„ *rium*, Aue Maria gratiâ plena Dominus te-
„ cum, *Diceret*, & *jam in medio fluminis esset*, *ecce turba magna dæmonum in profundo pelagi, vnà cum eius nauicula eum præcipitauit, & eius animam rapuit ad tormenta. Die autem tertiâ ad locum quo dæmones eum tormentis adficiebant, venit mater Iesu cum magna Angelorum societate di-*
„ *cens eis*: Vt quid animam famuli nostri ita
„ iniustè adfligitis? *Cui illi*: Nos eam debemus
„ habere & merito, quoniam in nostris operi-
„ bus capta est. *Quibus mater Iesu*: Si illius de-
„ bet esse cuius opera faciebat, ergo nostra de-
„ bet esse, quoniam matutinas nostras dum
„ vos eam peremistis decantabat. Vnde magis
„ rei estis, qui minùs erga me egistis. *His dictis dæmones huc illúcque dispersi fugerunt & beata Maria animam reduxit ad corpus, & hominem ab vtroque funere resuscitatum, per brachium arripiens, aquam à dextris & à sinistris quasi murum stare iubens, de profundo pelagi ad portum incolumem reduxit. At ille gaudens pedibus beatæ Mariæ*
„ *Virginis prostratus ait*: Carissima mea Domina
„ & virgo speciosa Christi gratissima, quid tibi
„ retribuam pro tantis beneficiis quæ mihi
„ fecisti? liberasti me de ore leonis & de tor-
„ mentis inferni grauissimis animam meam.
„ *Cui mater Iesu ait*: Precor te ne de cetero in
„ adulterij peccatum cadas, ne fiat tibi nouissi-
„ mus error pejor priore: precor te iterum vt
„ de cetero festum conceptionis meæ deuotè

„ celebres annuatim VI. Id. Decemb. & vbique „ celebrandum prædices. *Mox vt ea dixit beata virgo Maria eo cernente cœlos adscendit & ipse eremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire volentibus narrauit. Et postea quamdiu vixit, illud festum Conceptionis solemniter & deuotè celebrauit & celebrandum prædicauit.*

Quis ille Iacobus de Voragine, & quæ illius *Aureæ Legendæ* auctoritas, ex Ludouico Viue intelligitur, sub finem lib. II. de causis corruptarum artium, ita scribente: *Quàm indigna est Diuis & hominibus Christianis illa sanctorum historia quæ* Legenda aurea *nominatur, quam nescio cur* auream *adpellent, cùm scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis! Quid fœdius dici potest illo libro? O quàm pudendum est nobis Christianis, non esse præstantissimos nostrorum diuorum actus veriùs & accuratiùs memoriæ mandatos, siue ad cognitionem, siue ad imitationem tantæ virtutis, cùm de suis ducibus & philosophis & sapientibus hominibus tantâ curâ Græci & Romani auctores perscripserint.* Sed hæc quasi ἐκ περιδρομῆς.

Quænam autem eiusmodi reuelationibus fides habenda sit, S. Bernardus cui earum aliqua innotuerat, sic exponit in epistola CLXXIV. ad canonicos Lugdunenses: *Sed profertur scriptum supernæ (vt aiunt) reuelationis: quasi & quiuis non queat scriptum æquè producere, in quo virgo videatur idipsum mandare & de parentibus suis, iuxta Domini mandatum dicentis:* Hono„ ra patrem tuum & matrem tuam. *Ipse mihi facilè persuadeo scriptis talibus non moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere auctoritas.*

*auctoritas.* Cùm itaque è quatuor illis reuelationibus malè inter se se cohærentibus,ad stabiliendam festi Conceptionis beatæ Mariæ originem certi omnino nihil eliciatur,aliunde istius celebritatis initia veniunt inuestiganda. Antiquitus & laudabiliter obseruatam definit Concilium Basileense in sess.XXXVI. His vocibus: *Renouantes institutionem de celebrandâ sanctâ eius* gloriosæ Virginis Mariæ *Conceptione, quæ* VI. *Idus Decemb. antiqua & laudabili consuetudine celebratur:* Verùm à quo, & quando primum obseruata fuerit, non definit. Cœpisse in Anglia ex S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi institutione, scribit Simon Mepham Cantuariensis quoque Archiepiscopus,in constitutione edita in Concilio Prouinciali coacto apud S.Paulum Londonensem, mense Februario, an. MCCCXXVIII. *Venerabilis Anselmi* (inquit) *prædecessoris nostri qui post alia quædam ipsius* beatæ Mariæ *antiquiora solemnia, Conceptionis solemne superaddere dignum duxit, vestigiis inhærentes, statuimus & firmiter præcipiendo mandamus, quatenùs festum Conceptionis prædictæ in cunctis Ecclesiis nostræ Cantuariensis prouinciæ festiuè & solemniter de cetero celebretur.* Cœpisse in Galliis nostris tempore Innocentij III. probant hæc Synodi Galonis & Simonis legatorum verba, apud Bochellum in lib. IV. Decret. Eccles.Gall.tit.IX.cap.XIII.*Conceptio beatæ Mariæ hodie de mandato sedis Apostolicæ celebratur.* Si enim ante illius Synodi celebrationem cœpisset *Conceptio beatæ Mariæ celebrari*: aliis solùm festis quæ eo loci persequuntur legati,erat
 accensendas

accensenda ; nec necesse fuit hoc de ea peculiare monitum adjungi : *Conceptio beatæ Mariæ hodie de mandato sedis Apostolicæ celebratur.* Publicè in vniuersâ Ecclesiâ recepta vulgò creditur post annum Christi MCCCCLXXVI. id est post Sixti IV. Romani pontificis extrauagantem epistolam, *Cùm præexcelsa*, de reliquiis & veneratione sanctorum, tit. XII. quam epistolam Concilium Tridentinum in sess. v. in Decreto de peccato originali, innouauit. Antea enim non probatam Ecclesiæ, S. Bernardus, Petrus Cellensis Abbas & postea Episcopus Carnotensis, Ioannes Belethus, & Guillelmus Durandus, inter ceteram Ecclesiasticorum scriptorum turbam, contestantur.

Sanctus quidem Bernardus solemne illud, Ecclesiæ consuetudini, rationi & antiquæ traditioni oppidò aduersari ita docet in præfatâ ad Cano. Lugd. epistolâ CLXXIV. *Miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrûm, voluisse mutare colorem optimum nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid patribus doctiores aut deuotiores sumus? Periculosè præsumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit. Nec verò id tale est quod nisi prætereundum fuerit patrum quiuerit omnino diligentiam præteriisse. Cùm hæc ita se habeant, quænam iam erit festiuæ ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus adseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam peccato est, aut festus habebitur qui minimè sanctus est? libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari,*

*rari, vel falso induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ sedis auctoritas & non ita præcipitantes atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens deuotioni quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat. Verùm apud sapientes atque in famosa nobilique Ecclesiâ, & cuius specialiter filius sum, superstitione deprehensâ, nescio an sine graui offensa, etiam vestri omnium dissimulare potuerim.*
S. Bernardum scriptâ ad Canonicos Lugdunenses epistolâ aliquorum in se inuidiam concitasse, ex his euincitur quæ Nicolaus S. Albani in Anglia Monachus in epistola ad Petrum Cellensem, tunc S. Remigij Abbatem ita præscripsit: *Ne putes me magis pertinaci quàm bonâ conscientiâ dicere quæ dico, audi quid ab ipsis Cisterciensibus verâ religione præditis, & virginem in veritate diligentibus acceperim de S. Bernardo: quorum nomina abscondo sub modio, ne odiosos faciam fratrum suorum collegio. In Clareuallensi collegio quidam conuersus benè religiosus in visu noctis vidit Abbatem Bernardum niueis indutum vestibus quasi ad mamillam pectoris furuam habere maculam. Quem ex admiratione tristior adloquens, Quid est, inquit, pater quòd nigram in te maculam video? Et ille, Quia de Dominæ nostræ Conceptione scripsi non scribenda, signum purgationis meæ maculam in pectore porto. Frater visa conuenui innotuit, & aliquis fratrum in scriptum redegit.*

*git. Relatum est in generali Cisterciensi capitulo & de communi consilio scriptum periit incendio? maluitque Abbatum vniuersitas Virginis periclitari gloriam, quàm S. Bernardi opinionem.* Non sic *Paulus, non sic, qui se Blasphemum & injuriosum inclamitat, vt Redemptoris gloriam amplius extollat. Et certè vt credo eâ ratione sanctus in propria persona viro simplici & de talibus nil scienti adparuit & culpam suam innotuit, vt totius Cisterciensis capituli discretio deprehenderet eum velle suum errorem damnari & Virgineæ Conceptionis gloriam prædicari. Porrò facto leui per purgatorium transitu, intrauit in gaudium Domini sui, qui in diebus suis sanctitate venerabilis, opinione singularis, eloquentia suauis, & signorum inuocatione, immutationéque mirabilium exstitit mirabilis.* Quibus ita breuiter respondet idem Petrus Cellensis, in lib. ix. ep. x. ad eumdem Nicolaum: *Euangelio, non somniis de illa* Virgine Deipara *credo, & si aliter sapio, & hoc ipsum reuelabit Deus quando voluerit & quomodo voluerit. Interim autem dum fit vox super firmamentum, nec descendit ad nostrum fundamentum, pennas submitto, & meæ ignorantiæ caliginem non à te, sed à patre luminum illustrandam imploro.* Vnde cùm Petrus Cellensis, S. Bernardi de non agitando Conceptionis beatæ Mariæ festo sententiam, aduersus Nicolaum S. Albani Monachum tutatus fuerit, quin eadem quoque cum S. Bernardo censuerit, inficiabitur nemo. Aperta enim illi⁹ verba sunt in epist. xxii. lib. vi. & in epist. x. modò laudatâ lib. ix. Eadem est mens Ioanni Belctho Parisiensi Theologo, in breui diuinorum

norum off. ac eorumdem rationum explicatione, cap. CXLVI. vbi ait : *Festum Conceptionis aliqui interdum celebrarunt & adhuc fortassis celebrant : sed authenticum atque adprobatum non est, imò enim vero prohibendum potiùs videtur. In peccato namque concepta fuit.* Eadem etiam Guillelmo Durando Mimatensi Episcopo,qui postquam in lib.VII. Rational. diuin. off. cap.VII. Quatuor tantùm beatæ virginis festos dies agitari in Ecclesia demonstrauit, subjungit ista : *Quidam faciunt quintum festum, scilicet de Conceptione beatæ Mariæ, dicentes quòd sicut celebratur de morte Sanctorum, non propter mortem, sed quia tunc recepti sunt nuptiis æternis : similiter potest celebrari festum de Conceptione, non quia sit concepta, quia in peccato est concepta, sed quia mater Domini est concepta; adserentes hoc fuisse reuelatum cuidam Abbati in naufragio constituto, quod tamen non est authenticum. Vnde non est adprobandum, cùm concepta fuerit in peccato, scilicet per concubitum maris & fœminæ.*

Horum igitur quatuor scriptorum testimonia, variæque de beatæ Mariæ Virginis Conceptione ac ipsius celebritate, inter doctos viros habitæ concertationes, nec non & vniuersale eorum auctorum silentium qui festos suâ ætate dies recensuerunt, manifestò indicant, quibusdam tantùm in locis peractum fuisse Conceptionis festum, nec sine plurimorum offensione, existimantium ideo solemnem esse non debere Conceptionem quæ in hæreditarij siue originalis peccati partem venerat: nihílque in ea re nouandum videri ante

sedis

ſedis Apoſtolicæ decretum. Quod quidem ſi eorum æuo prodiiſſet, quale poſtea ſecutum eſt, haud dubium quin pro eximiâ erga Virginem ſanctiſſimam reuerentiâ ac pietate, æquiſſimis lætiſſimíſque animis accepiſſent. Alia verò eſt, noſtrorum temporum conditio. Quid de Virginis Deiparæ Conceptione, Conceptioníſque feſto credendum nobis ſit his verbis conſtituit Baſileenſe Concilium in ſeſſ. xxxvi. *Hactenus difficilis quæſtio in diuerſis partibus ſuper Conceptione ipſius glorioſæ Virginis Mariæ matris Dei & exordio ſanctificationis eius facta eſt* &c. *Nos diligenter inſpectis auctoritatibus & rationibus quæ jam à pluribus annis ex parte vtriúſque doctrinæ allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam differentem glorioſam virginem Mariam, præueniente & operante diuini numinis gratia ſingulari, numquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam, tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & ſacræ ſcripturæ, adprobandam fore & tenendam & amplectendam definimus & declaramus, nullique de cetero licitum eſſe in contrarium prædicare, ſeu docere: renouantes præterea inſtitutionem de celebranda ſancta eius Conceptione quæ* vi. *Idus Decemb. antiqua & laudabili conſuetudine celebratur.* Quomodo de Virginis Deiparæ Conceptione Conceptioníſque feſto nobis loquendum ſit, jamdudum in duplici extrauaganti epiſtola, *Cùm præexcelſa*, & *Graue nimis*, dilucidè

Sixtus

Sixtus IV. exposuit: Nihilominus tamen post Concilij Basileensis, & Sixti IV. decreta, Conceptionis festum imminui posse, videtur hisce rationibus suaderi.

I. Quòd in nullis festorum dierum recognitionibus, ante Innocentij III. tempora ordinatis reperiatur. Ac proinde cùm recentius sit, nullóque veterum testimonio roboretur, hodie quoque de eo dicere possumus cum S. Bernardo: *Numquid patribus doctiores aut deuotiores sumus? periculose præsumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit. Nec verò id tale est quod nisi prætereundum fuerit, patrum quiuerit omnino diligentiam præteriisse.*


II. Quòd, quantumuis sollemniter Imperatum in Anglia, ac præsertim in Cantuariensi Prouinciâ, à S. Anselmo, illud tamen succidere non dubitauerint in eiusmodi Prouincia Stephanus Langtonius Cantuariensis Archiepiscopus in Concilio Oxoniensi, vbi ait celebranda esse *Omnia festa beatæ Mariæ præter festum Conceptionis cuius celebrationi non imponitur necessitas*; & in Synodo VVigorniensi VValterius de Cantilupo VVigorniensis Episcopus, Archiepiscopo Cantuariensi Suffraganeus, cùm vbi Diœcesis suæ, tum vbi Salisburiensis Ecclesiæ festos dies enumerat: quatuor enim solùm beatæ Mariæ festa persequitur, Adnuntiationis, Natiuitatis, Purificationis & Adsumptionis. Si ergo vbi primò instituta & agitata creditur illa celebritas, fuit imminuta: quidni etiam nunc imminui poterit?

III. Quòd Laurentius S. Anastasiæ Cardinalis,

nalis, Legatus *à Latere* in Germaniam, Hungariam, Bohemiam & Poloniam, in constitutione quam *ad remouendos abusus & ad cleri vitam reformandam* Ratisbonæ edidit an. MDXXIV. in stato XX. Paulus III. in Bulla, *Altitudo diuini consilij* quæ anno MDXXXVII. Vniuersis Episcopis Occidentalis & Meridionalis Indiæ missa est; Christophorus Augustanus Episcopus, & Otho S. R. E. Cardinalis itidémque Augustanus Pontifex, in Synodi Augustensis, an. MDXXXIX. capite XXIV. Ioannes Archiepiscopus Treuerensis, in Concilio Treuerensi II. tit. *de moderandis ferijs*; ac denique (quod maximè velim obseruari) Vrbanus VIII. in Bullâ, *Vniuersa per orbem*, datâ an. MDCXLII. præscripta tantùm quatuor beatæ Virginis Mariæ festa percenseant, ac proinde quintum, quod Conceptioni eius sacium est, abrogent.

IV. Demum, quòd longè minor sit celebrandæ Conceptionis Deiparæ Virginis ratio, quàm Visitationis, quæ tamen in plerisque Ecclesijs profesta est, etiamsi ab Vrbano VI. nonaginta vel circiter ante Sixtum IV. annis, edicta fuerint illius sollemnia; etiamsi primùm à Bonifacio IX. anno MCCCXC. vt auctor est ad eum annum Bzonius in Annalibus Ecclesiasticis: deinde verò à Concilio Basileensi in Sess. XLIII. confirmata: etiamsi ab an. MCCLXIII. apud fratrum Minorum Ordinem celebrata, quemadmodum ex eorum Annalibus colligi testatur Gauantus, in Comment. in Rubr. Breuiar. Sect. VII. cap. IX.

CAP.



# CAPVT LI.

## *Natiuitatis beatæ Mariæ, ejúsque Purificationis festa tolli possunt.*

VIrginis Deiparæ Natalis dies cur sollemni in Ecclesia cultu celebretur, rationem hanc adfert auctor sermonis IV. in Antiphonam *Salue Regina* (qui inter opera S. Bernardi habetur) dum ait: *Ego piâ fide opinor in vtero matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis, nec noua est fides, nec opinio falsa. Tu ergo processisti vt aurora lucida & rubicunda, quia superatis originalibus peccatis in vtero matris nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. Inde est quod Natiuitatem tuam Sanctam Sancta Ecclesia festiuis celebrationibus honorat, quod aliàs non faceret.* Quibus similia loquitur Nicolaus S. Albani Monachus in epist. ad Petrum Cellensem Abbatem, in lib. IX. eiusdem Petri Epistolarum, Epist. IX. his vocibus: *Inde dies Natiuitatis non Conceptionis Virgineæ diem haberi sollemnem, quia quæ in peccatis concepta est, vt vniuersum genus hominum, sine peccato nata est, vt pauci hominum.* Quod ex S. Bernardi sententia colligit.

Celebritatem illam nostris in Gallijs ante Karoli Magni & Ludouici Pij tempora, ex Can. XX. Concilij Remensis an. MDCXXX. vsitatam probauimus suprà in cap. IX. aduersus

Baronij

Baronij Cardinalis ad vi. idus Septembres adnotata. Eius, vt antiquioris festi, meminit initio ferè sermonis i. de Natiuitate beatissimæ Mariæ Virginis S. Fulbertus Carnotensis Episcopus, vbi ait: *Inter omnes Sanctos memoria beatissimæ Virginis eo frequentiùs agitur atque festiuiùs, quo majorem gratiam apud Dominum creditur inuenisse. Vnde post alia quadam ipsius antiquiora sollemnia, non fuit contenta deuotio fidelium, quàm Natiuitatis sollemne superadderet hodiernum.* Meminit & S. Bernardus in Epist. clxxiv. ad Canonicos Lugdunenses, his verbis: *Ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia & ab Ecclesia indubitanter haberi festiuum atque Sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse vt sancta prodiret.* Et clariùs postea: *fuit procul dubio & mater Domini ante Sancta, quàm nata: nec fallitur omnino Sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuersæ terræ votiuâ celebritate suscipiens.* Meminit quoque Petrus Cellensis Abbas & postea Carnotensis Episcopus in Epist. xxiii. lib. vi. in qua hæc sibi ex Nicolao S. Albani Monacho verba objicit: *Non erat ab initio Natiuitas Virginis in Ecclesia sollemnis, sed crescente fidelium deuotione addita est præclaris Ecclesiæ sollemnitatibus.*

Faciunt hæc & alia eiusdem generis non pauca, vt quo primùm tempore agitari cœperit in Ecclesia Natiuitatis beatæ Mariæ festum, nec possim nec ausim adfirmare. Illud tantùm dico nullum aliud suæ institutionis habere firmamentum.

mamentum, prȩter priuatam priuati nescio cuius hominis visionem, seu reuelationem, vt appellant, de quâ sic scribit Ioannes Belthus Parisiensis Theologus in breui diuinor. off. explicatione; cap. CXLIX. *Deinceps sequitur Natiuitas beatæ Mariæ. Festum hoc olim fieri non consueuit: sed quodam tempore vir quispiam pius, cùm noctu oraret, audiuit Angelos in cælo canentes. Idem accidit ei pluribus annis eadem nocte. Quare petiit à Domino, vt, quid hoc sibi rei vellet, ipsi reuelaretur. Et reuelatum est ei, Angelos ita in cælis gaudere, ac velut sollemnisare, quòd istiusmodi nocte nata esset beata Virgo. Ille igitur rem quam audiuerat ad Papam defert. Qui cùm intellexisset sanctum & magnæ auctoritatis, credens ipsum vera loqui; instituit vt per totum mundum Christianum, festum hoc celebraretur.* Quod & à Guillelmo Durando Mimatensi Episcopo in lib. VII. Ration. diuin. off. cap. XXVIII. Petro de Natalibus, Episcopo Equilino, in Catalogo, lib. VIII. cap. LI. & à Iacobo de Voragine, in Legenda aurea, cap. CXXVI. memoratur.

Nihil porrò videtur esse cur eiusmodi festum ab Episcopis non valeat coërceri.

I. Enim in antiquis festorum dierum albis non deprehenditur quæ nobis Chrodogangus Metensis Episcopus in regulæ Canonicorum cap. LXXIV. Concilium Moguntinum I. in can. XXXVI. Karolus Magnus in lib. I. Capitul. cap. CLXIV. Itémque in lib. VI. cap. CLXXXVI. Haïto Basileensis Episcopus in capit. cap. VIII. Ludouicus Pius in lib. II. Capit. cap. XXXV. Concilium Aquisgranense II. XLVI. Herardus Turonensis

nensis Pontifex in Capit. cap. lxi. & Nicolaus i. in capp. v. & xi. Responsionis ad consulta Bulgarorum, consignauere; quod ad arcessendam Episcoporum de eâ celebritate abrogandâ decretis auctoritatem satis est.

II. Quamuis ante Innocentij III. ætatem in vsu fuerit apud Gallos hocce festum, sicuti ex can. xx. Concilij Remensis dignoscitur; illud tamen antiquatum in Galliis videmus Innocentij III. ætate, in Synodo Galonis & Simonis eius Pontificis supremi legatorum, apud Bochellum in lib. iv. Decret. Eccles. Gall. tit. ix. cap. xiii. tria tantum Deiparæ Virginis solemnia, Adnuntiationis nempe, Purificationis & Adsumptionis, enumerantium.

III. Ignoti hominis incertæ visioni tantummodo cùm innitatur, firmo satis innixum fundamento non apparet, vt immotum manere possit atque inconcussum. Quam enim eiusmodi reuelationibus priuatis fidem deceat adjungi, sic exponit in lib. xi. de locis Theologicis cap. vi. Melchior Canus Episcopus Canariensis: *illud etiam in his Gelasij verbis equidem animaduerto, nouellas reuelationes, sic enim vocat, nos admirari & suscipere non oportere. Iam enim passim non pro Ecclesiæ necessitate, sed pro hominum affectu expromuntur, adeo vt in Conceptionis causa vtrimque, si superis placet, reuelationes vel contrariæ proferantur: quæ res impijs quidem non leuem subsannandi occasionem præbent, pijs verò lacrimandi. Contemnantur profecto necesse est Dei & bona & miracula, si nostris aut opinionibus aut affectibus inseruierint. Ecclesia igitur Christi*

*sti si vehementer incommodant, qui res diuorum præclarè gestas non se putant egregiè exposituros, nisi, eas fictis & reuelationibus & miraculis adornarint.*

IV. Denique quia S. Augustini tempore minimè receptum in Ecclesia Natiuitatis beatæ Mariæ festum, ex duplici illius de Sanctis sermone conficitur, vbi nullius Sancti Natalem, nisi Christi Domini & S. Ioannis Baptistæ celebrari adseuerat. Sic enim loquitur in serm. xx. de Sanctis qui primus est de Natiuitate S. Ioannis Baptistæ: *Post illum Sacrosanctum Domini Natalis diem, nullius hominis* Natiuitatem *legimus celebrari, nisi solius beati Ioannis Baptistæ*; & in sermone XXI. *Natalem S. Ioannis, fratres carissimi, hodie celebramus, quod nulli vmquam Sanctorum legimus fuisse concessum. Solius enim Domini & beati Ioannis dies Natiuitatis in vniuerso mundo celebratur & colitur.*

Vnde *Non rectè sentire eos existimamus* (inquit Baronius in Notis Martyrol. Rom. ad VI. id. Sept.) *qui opinati sunt iam ab Augustini ætate eamdem* sollemnitatem *esse in Ecclesia celebratam, eâ persuasi ratione, quòd in Ecclesiasticis officijs eius diei legatur sermo S. Augustini de ea sollemnitate. Quamobrem monitum volumus lectorem, verè sermonem illum esse Germanum S. Augustini opus, nequaquam tamen in* Natali Dei Genitricis *habitum; sed perpaucis mutatis eidem celebritati accommodatum, qui est sermo* II. *de Adnuntiatione: vbi verba illa:* Gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata sollemni die: *ita piè mutata leguntur in* Breuiario: *Gaudeat terra nostra*

*ſtra tantæ Virginis illuſtrata Natali. Nec verò mirum hoc cuiquam videatur, quòd ſermonem hunc S. Auguſtini ad beatiſſimam Virginem pertinentem, ſancta Eccleſia ad hanc feſtiuitatem accommodauerit: nam idipſum in Antiphonis & reſponſorijs agere conſueuiſſe ſatis apparet, dum quæ ſunt alicui ſollemnitati peculiariter accommodata, jiſdem vtatur in alijs.*

Quod autem de Natiuitatis beatæ Mariæ, idem quoque de ipſius Purificationis celebritate dicendum videtur, quæ multis nominibus inſignita eſt apud Eccleſiaſticos ſcriptores. Theophylacto Simocattæ dicitur in lib. VIII. Hiſt. cap. IV. τεσσαρακοστὴ ἡμέρα τῆς γενεθλιακῆς πανηγύρεως τοῦ μεγάλου Θεοῦ Ἰησοῦ. Modò *Simeonis & Annæ*, modò *Simeonis* tantùm, modò *Præſentationis*, modò *Occurſûs*, nominatur. ſæpius tamen *Purificationis*, quemadmodum apud Græcos ὑπάντης ſiue ὑπαπάντης, hoc eſt *occurſûs* ſiue *ſuboccurſûs*. ὑπαντάω enim ὑπάντομαι. & ὑπαντιάομαι, *obuio* ſeu *obuiam procedo honoris gratiâ* ſignificat. Eóque vocabulo Eccleſia vtitur vt Simeonis & Annæ obuiantium Mariæ & Chriſto Domino eâ die gaudium exprimat. Vnde in Matutini Officij Inuitatorio canit: *Ecce venit ad templum ſanctum tuum dominator Dominus, gaude & lætare Sion occurrens Deo tuo.* Rationem occurſûs addit S. Hildephonſus in ſerm. de Purificat. his verbis: *Quia cùm Dominus hodierna die in templum à parentibus fuiſſet delatus, à Sanctis, quos plurimos Ieroſolymis fuiſſe non dubium eſt, eis obuiari credimus.* Quo factum arbitror vt olim

ſollemne

ſolemne illud Chriſto fuerit peculiariter dedicatum, non ipſius parenti Mariæ. Et ſanè Paulus Diaconus, ſiue alius quiſpiam Hiſtoriæ Miſcellæ conſcriptor, in lib. VI. rer. Rom. in Iuſtiniano, *Hypapantem Domini* vocat, non *Dominæ*, vbi illius feſti inſtitutionem ita enarrat: *Anno* XV. *Imperij Iuſtiniani, menſe Octobre, facta eſt mortalitas Byzantij, & eodem anno Hypapante Domini ſumpſit initium vt celebraretur apud Byzantium ſecundâ die Februarij menſis.* Sicque ad XV. Iuſtiniani Imperatoris annum referenda videntur Purificationis feſti exordia, cuius rei fidem facit Theophanes in lib. XVI. Hiſtoriæ, & alij quoque Scriptores plurimi, cùm Latini, tum Græci, à quibus tamen diſſidet Georgius Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum ab orbe condito, anno IX. Iuſtini Imperatoris ſub eodem Iuſtino ſeniore A. Purificationis celebritatem inſtitutam ſcribens. Nihilominus tamen eius meminit longè ante Iuſtinianum Imperatorem S. Gregorius Nyſſenus in ſerm. de occurſu Domini, & *conſtat* (inquit ad IV. non. Febr. Baronius in Notis ad Rom. Martyrol.) *Gelaſium Romanum Pontificem qui annis* XXX. *ante Iuſtiniani tempora Romanæ Eccleſiæ præfuit, huius diei celebrandæ in Occidentali Eccleſia aperuiſſe viam, dum Lupercalia menſe Februario agi ſolita (vt ſcribit Varro lib. v. de ling. Lat.) Romæ ad ea tempora permanentia legibus Eccleſiaſticis abrogauit. Exſtat eius Pontificis de ea re eruditiſſimus commentarius aduerſus Andromachum Senatorem ac ceteros Romanorum, ſtudioſos Lupercalium. Habemus illum*

*MS. in nostra Bibliotheca, quem & exscripsimus integrum in Annalibus Ecclesiasticis. Iure itaque opinamur abrogatis Lupercalibus, Romæ (sicut in multis accidit) eiusmodi fuisse solemnitatem introductam, quam paulo post Iustiniani temporibus Orientalis Ecclesia eâ occasione accepit.* Nominis igitur & rei facta mutatio est, aliúdque primùm Christo Domino, postea verò Mariæ Virgini festum consecratum, quod *Purificationis* hodie nuncupamus, in quo sacris ritibus expiatum fuisse à Sergio Pontifice Romano circa ann. DCCCXLIII. quod ab Ethnicis olim in honorem Februæ matris Martis & Februi siue Plutonis, agebatur, Guillelmus Durandus adserit, in lib. VII. Rational. diuin. off. cap. VII. & alij bene multi qui de Officijs Ecclesiasticis scripsere. Non omnino tamen Mariæ dicatum Purificationis festum, sed & Christo ostendit Præfatio, quæ etiam nunc eo die dicitur in Missa, non de S. Maria, sed de Natiuitate Domini.

Iccirco vero eiusmodi festum imminui posse autumamus; tum quia neque à Concilio Remensi an. DCXXX. in can. XX. neque à Nicolao I. in capp. V. & XI. Respons. ad Cons. Bulg. neque ab Aluredo Magno, in Legum Ecclesiasticarum tit. XVIII. festis diebus accensetur; tum etiam quia cùm ex præscriptis Baronij & Durandi locis ad abolendas Gentilium superstitiones, & euellenda funditus Lupercalia, seu etiam ad delendam omnino lustrationem Vrbis quæ Romæ agebatur in honorem Deorum infernalium, maximè vero Februi

brui, id est Plutonis, fuerit institutum, eiusmodíque superstitionum ac Lupercalium, ne minimum quidem, Deo ita volente, vestigium jam à multis annis relinquatur nihil causæ videtur esse cur illud festum retineatur, quod & suæ institutionis finem jamdudum consequutum est, & miseris mortalibus, præsertim verò operariis, oneri esse potest atque impedimento. Neque enim, quia vniuersè in Ecclesia agitatur, ideo reuocari non posse censendum est, quandoquidem festa toto Christianorum orbe frequentata, rescindi ab Episcopis posse, in cap. XLV. superiùs sit à nobis demonstratum.

## CAPVT LII.

*Adnuntiationis beatæ Mariæ festum desecari potest. Eiusdem Adsumptionis celebritatem seruari par est.*

ADnuntiationis festum miror Deiparæ Virgini fuisse consecratum cùm Christi potiùs Incarnationi seu Conceptioni ab antiquis patribus fuerit dedicatum. Probat hoc initium Orationis quæ sub S. Athanasij nomine circumfertur eo die habita: *Primùm* (inquit) *hoc memoriæ subjiciendum, festum hoc vnum esse ex Dominicis festis, atque adeo primarium & prorsus venerandum, vt pote quod pro ordine &*

*digestione rerum, quæ in Euangelijs de Christo prædicantur, Sacro-sanctum habeatur; quippe in quo de Filij Dei è cælis descensu agatur.* Idipsum ex S. Augustino edocemur, qui in lib. IV. de Trinitate cap. V. hæc ait: *Sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas* VIII. *Kalendas Aprilis Conceptus creditur*, &c. Ac proinde eo die Christi Domini Conceptio recolenda est. In sermonibus quoque qui apud S. Augustinum (siue eius sint, siue alterius) de illo festo reperiuntur, *Adnuntiatio Dominica*, & à Micrologo in lib. de obser. Eccles. cap. XLVIII. *Adnuntiatio Domini*; appellatur. Atque hanc esse Ecclesiæ mentem inde deducitur quòd in II. Matutini officij Nocturno, legendus proponatur in ea celebritate S. Leonis Papæ sermo II. de Natiuitate Domini, in quo sanctissimus Pontifex Christi Iesu Incarnationis causam, ipsámque Incarnationis rationem eloquenter describit.

Ex quibus antiquissimum esse apud Christianos Adnuntiationis Dominicæ festum diem colligitur. Non tamen illius antiquitatem abundanter probari posse existimarim ex sermone beati Athanasij de sancta Deipara, quemadmodum Bellarminus Cardinalis ita tradit in lib. III. de cultu Sanctorum, cap. XVI. *Festum Adnuntiationis adhuc est antiquius festo* Natiuitatis beatæ Mariæ; *exstat enim oratio S. Athanasij de sancta Deipara, vbi expressè meminit huius festi.* Vt enim Bellarminum non aliis quàm ipsissimis Bellarmini verbis refellam, quas ille in libro de script. Eccles. obseruatione

ne in tom.III.oper.S.Athanasij,rationes attulit quibus rationem illam S. Athanasio abjudicat, heic solummodo subjungam. Sic autem ratiocinatur: *Sermo de sanctissima Deipara non videtur esse S.Athanasij, sed alicuius posterioris, qui post Concilium* III. *&* IV. *imò etiam* VI. *floruit. Ita enim accuratè disputat de vnione diuinæ & humanæ naturæ in vna hypostasi: nec non de appellatione Deiparæ, quòd Virgini ea appellatio iure conueniat: & denique de duabus voluntatibus & operationibus vnius volentis & operantis Christi, vt dubitari non possit quin iste auctor viderit decreta Conciliorum contra Nestorium, Eutychetem & Monothelitas. Ac (vt rectè ratiocinatur.Card.Baronius tom.* I. *Annal. ad an. chr.* XLVIII.*) si hic sermo esset Athanasij, sine dubio citatus fuisset à S.Cyrillo & à patribus* III.IV.*&* VI.*Synodi ad conuincendos hæreticos. Videmus autem non citari vnquam hunc sermonem, sed libros de Incarnatione, vbi non tam apertè Athanasius loquitur. Adde quòd in hoc sermone auctor dicit, attributa Dei non esse ipsam substantiam Dei, sed circa substantiam versari: quod valdè impropriè dictum est, & alienum à consuetudine S.Athanasij, qui valdè consideratè loqui solet. Adde vltimò quòd in explicatione vocabuli* ὁσία*, dicit vocem* ἰσία*, significare æqualitatem: & Græcis* ἰσότης*, est æqualitas, non* ἰσία*, & tota illa deductio vocis* ὀσία *à voce* ἴσος *est leuior quàm vt Athanasium decere videatur.* Igitur Adnuntiationis S.Mariæ festi antiquitatem ex ea S.Athanasij oratione(quâ tamen vnâ in præfati libr.de cult.SS.cap.XVI.vtitur Bellarminus) eruditis hominibus probari non posse in propatulo est.

Sed etsi probaretur, rescindi posse id genus festum non negauerim; tum quia altissimum est de eo silentium in feriarum recensionibus antiquis quas Chrodogangus Metensis Episcopus in Reg.canon.cap.lxxiv.Karolus Magnus in lib.i. Capitul.cap.clxiv. & in lib. vi. cap. clxxxvi. Concilium Moguntinum i. in can. xxxvi. Haïto Basileensis Antistes in Capitul. cap.viii.Ludouicus Pius in lib.ii.Capitul.cap. xxxv. Concilium Aquisgranense ii. in can. xlvi. Herordus Turonensis præsul, in capitul. cap.lxi. Nicolaus i.in capp.v. & xi.respo. ad consf.Bulgar.VValterius Aurelianensis Episcopus in capitul. cap. xviii. Aluredus Magnus Anglorum rex in legib. Ecclesf. tit. xviii. Et Concilium Lugdunense apud Gratianum in iii.par.decr.de consecrat.dist.iii.cap.*Pronuntiandum*, adducunt; tum maximè quia ferè semper quadragesimali tempore accidit, quo vetat Laodicenum Concilium ante annos mccc. celebratum, nec vlli martyrum aliorúmque quarumlibet, natalitij dies peragantur. *Non oportet* (inquit in can.li.)*in quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum in sabbato & Dominica tantùm memoriam fieri.* Et can.lii. *Non oportet in quadragesima aut nuptias vel qualibet natalitia celebrare.* Quem in canonem li. hæc obseruauit Micrologus in lib. de obser.Ecclesf.cap.xlviii.*Quòd heic soli martyres nominantur, hoc ideo quia nondum apud antiquos memoria confessorum adeo celebris fuit.* Vnde secundùm istas Laodiceni Concilij constitutiones Mediolanensis Ecclesia festos dies omnes

nes quadragesimali tempus euenientes, & hunc ipsumquo de agitur Adnuntiationis Dominicæ, in aliud tempus transfert, vti docet Radulphus de Riuo in lib. de can. obser. propos. xvi. his verbis: *Cùm omnia illius temporis officia de eadem resonent Adnuntiatione ( vt in Ambrosiana seruatur Ecclesia, in qua eadem Adnuntiatio solemnissimè agitur in Dominica ante Natiuitatem Domini. Et præterea in Ambrosiano officio, nullum festum in quadragesima seruatur, prout dicta Concilia* Laodicenum & Toletanum x. *statuerunt. Et propterea antiquitus festa Gregorij & Ambrosij ad dies ordinationis eorum transferebantur, Gregorius scilicet ad diem* III. *Septembris, & Ambrosius ad Octauam Andreæ, & Benedictus ad diem Translationis suæ in Iulio.* Vnde etiam factum est vt in Concilio Toletano x. decretum sit ne quadragesimali aut paschali tempore Adnuntiationis festum celebretur. Sic enim habet in can. I. *Quoniam die quâ inuenitur Angelus Virgini verbi conceptum & nuntiasse verbis & indidisse miraculis, eadem die festiuitas non potest celebrari condignè, quod interdum quadragesima vel paschale festum videatur incumbere, in quibus nihil de sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, conuenit celebrari: cùm secundum ipsam incarnationem verbi non conueniat tunc celebritatibus prædicari, quando constat ipsum verbum post mortem carnis gloriâ resurrectionis attolli: Ideo speciali constitutione sancitur, & ante Octauum diem quo natus est Dominus, genitricis quoque eius deis habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore constat, vt sicut Natiuitatem filij se-*

P 4 *quentium*

*quentium dierum insequitur dignitas, ita festiuitatem matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quod festum matris est nisi Incarnatio verbi? cuius festum ita debet esse solemne, sicut est & eiusdem Natiuitas verbi. In multis itaque Ecclesiis à nobis & spatio remotus & terris, hic mos agnoscitur retineri. Solemnitas itaque Dominicæ matris die* XV. *Kalend. Ianuar. omnimodo celebretur.* Ex quo canone quatuor nobis obseruatione dignissima inferuntur. I. Adnuntiationis beatæ Mariæ festum diem æquè solemnem esse ac Christi natalem, tótque dies habere festos subsequentes. II. *Ante Octauum diem quo natus est Dominus*, seu XV. *Kalendas Ianuarias* celebrandum III. *In multis Ecclesiis hunc morem retineri.* IV. Denique (quod plurimùm facit ad propositum) neque quadragesimali, neque paschali tempore *posse celebrari condignè festiuitatem* Adnuntiationis, *in quibus nihil & sanctorum solemnitatibus (sicut ex antiquitate regulari cautum est, conuenit celebrari.*

Quâ autem ratione Concilio Laodiceno cautum fuit ne per quadragesimam natales martyrum nomine dies agitentur, eâdem alios quoque festos dies eo tempore ne agitemus prohibetur. Si enim feriati dies publicæ lætitiæ consecrabantur in veteri Testamento, quemadmodum ex libri Iudith cap. vltimo dignoscitur, in quo hocce legas. *Erat populus iucundus secundum faciem sanctorum & per tres menses gaudium huius victoriæ celebratum est cum Iudith. Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria. Dies autem victoriæ huius festiuitatis, ab Hebrais*

*brais in numero sanctorum dierum accipitur & colitur à Iudæis ex illo tempore vsque in præsentem diem.* Si in nouâ lege, quæ amoris, gaudij, pacis & gratiæ lex est, non timoris, non terroris, non tremoris, festi dies exsultationi & lætitiæ (quæcumque tandem illa sit, dedicantur, vt ex his S. Bernardi verbis constat in epist. CLXXIV. ad Cano. Lugdunens.) *Patriæ est non exsilij frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festiuitatum ciues decet non exsules*; Et ex S. Athanasio in Apologia I. ad Imperatorem Constantium intelligitur; Si (quod ait S. Basilius in hom. XVIII. de Balaam martyre, ferè ab initio) ἡ τῶν λυπηρῶν μετὰ τὸν σταυρὸν μεταβέβληται φύσις. Si οὐκέτι θρήνους τοὺς τῶν ἁγίων δορυφοροῦμεν θανάτους, ἀλλ' ἐν θείοις χορείαις τοῖς ἐκείνων ἐπορχούμεθα τάφοις; Si diebus festis solemnes epulæ celebrari consueuerant, vti Ioannes Gerardus Vossius in Etymologic. ling. Lat. ita adnotauit: Festum *seu* dies festus *dicitur à Græco* ἑστιᾶν, *quod est festum diem agere, vt cùm natalitia aut nuptiales epulas celebramus.* ἑστιᾶν *verò est ab* ἑστία *quod tum larem siue focum, tum Vestam foci siue ignis præsidem significat. Itaque* ἑστιᾶν *propriè est conuiuio aliquem apud larem suum, hoc est domi suæ excipere*; Nonne etiam fatendum est toto quadragesimali tempore, quod mœstitiæ, doloris, jejuniorum, & austerioris vitæ tempus est, dies nullos debere pro festis existere, cùm vel ipsi Hebræorum sanctissimi diebus festis jejunia non seruarent, quod de Juditha refertur in libri cognominis capite VIII. hunc in modum: *Habens super lumbos suos cilicium,*

 *jejunabat*

*jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata & neomenias & festa domûs Israël.* Et verò festis diebus jejunio interdicitur canonicis à Chrodogando Metensi Episcopo in regulæ canon. cap. LXXIV. vbi recensitis solemnioribus anni celebritatibus hæc ait: *plenarium officium celebretur & bis reficiatur.* Interdicitur etiam Monachis in Concilio Aquisgranensi II. can. XLVI. iisdem ferè verbis: *plenarium officium agatur & bis reficiatur.* Interdicitur Bulgaris à Nicolao I. in cap. v. respons. ad Cons. Bulgar. his verbis: *Sextâ feriâ passionem Dominicam & Apostolorum mœstitiam recolentes ab omnium carnium epulis & pinguedine gustus vester arcendus est, præter si Natiuitas Domini & Epiphaniorum eius, aut festiuitas beatæ matris Domini & intemeratæ Virginis Mariæ seu Apostolorum principum Petri & Pauli, atque S. Ioannis Baptistæ, seu beati Ioannis Euangelistæ, necnon & clauigeri cœli germani Andreæ scilicet Apostoli, quin etiam & beati Stephani protomartyris, ipso die fortassis euenire contigerit. Nam quod sancta Ecclesia, vt fidelis anima in festiuitate eorum jejunia vel abstinentias, quæ non sunt perpetuo voto proposita, soluere debeat, Dominus testatur.* Interdicitur denique Moguntinæ prouinciȩ accolis ab Aribone Episcopo Moguntinensi in Concilij Saleguustadiensis cap. I. vbi dicitur: *Quatuordecim dies omnes Christiani ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente.* Ergo vel resecandum est indictum ab Ecclesia quadragesimali tempore

pore

pore in die Adnuntiationis Dominicæ jejunium, qui dies eſſe debet gaudij plenus & lætitiæ : vel reſcindendum omnino Adnuntiationis Dominicæ feſtum, ſicut ex Laodiceno concilio jam probatum eſt, in quo feſto prohibetur jejunium, quod certiſſimum eſt mœroris argumentum, & indubitatum pœnitudinis ſignum. Ea propter VI. Synodus in Trullo habita hæc ait in can. LII. ἐν πάσαις ταῖς τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν ἡμέραις, παρεκτὸς σαββάτου καὶ κυριακῆς, καὶ τῆς ἁγίας εὐαγγελισμοῦ ἡμέρας, γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία; quorum ex interpretatione quam adfert Theodorus Balſamō, deducere eſt Synodi Trullanæ temporibus non imperatum fuiſſe, quemadmodum nunc eſt, ipſo Adnuntiationis Dominicæ die fidelibus populis jejunium. Sic enim obſeruat ad iſtum canonem: αἱ τῶν νηστειῶν ἡμέραι, πένθους εἶναι ἐτάχθησαν καὶ κατανύξεως εἰς ἐξίλασμα τῶν ἑκάστου σφαλμάτων· τὸ δὲ προσάγειν τῷ θεῷ θυσίαν, πανηγυρίζειν ἐστί. τὸ δὲ πανηγυρίζειν οὐδέν τι ἄλλο ἐστὶν ἢ χαρμονή. πῶς οὖν ἐν ταυτῷ δύναταί τις πενθεῖν καὶ διαχεχύσθαι. διὰ τοῦτο ὥρισαν οἱ πατέρες μὴ γίνεσθαι θυσίαν δι' ὅλης τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς ἄνευ σαββάτου καὶ κυριακῆς καὶ τῆς ἡμέρας τοῦ εὐαγγελισμοῦ. ἐν ταύταις γὰρ πανηγυρίζειν, ἀλλ' οὐ πένθειν ἢ νηστεύειν ἢ γόνυ κάμπτειν προστετάγμεθα. Ex Theodori itaque Balſamonis verbis, quotieſcumque in quadrageſima contingit Adnuntiatio Dominica, parcendum eſſet fletui, jejunio & ἐγγονάσει, quod Eccleſiæ conſuetudini hodiernæ repugnat. Ergo ſi illi conſuetudini ſtandum eſt, vt ſtandum videtur,

vel profeſtus ſit neceſſe eſt Adnuntiationis Dominicæ dies, vel ſecundùm memoratam Concilij Toletani x. definitionem, ad diem xv. Kalendas Ianuarias referatur. At poſterius Romanæ & Gallicanæ Eccleſiarum vſui cùm manifeſtò contradicat, priori inſiſtendum potiùs autumarim. Satius enim eſt eâ die laborandi licentiam opificibus concedere, relicto in Eccleſiis Adnuntiationis S. Mariæ officio à clericis & ſacerdotibus perſoluendo, quàm aliud in tempus Adnuntiationis S. Mariæ feſtum & officium reuocare.

Cæterùm ſi Adnuntiationis, Conceptionis, Natiuitatis & Purificationis beatæ Mariæ ſolemnia detrahantur, par eſt remanere Adſumptionis eius feſtum, quod, Cathuitio teſtante in vita Stephani Regis, luminis *dies Dominica* κατ' ἀντονομασίαν appellatur; Emmanuëli Comneno Imperatori in nouella, quam referunt Photius in Nomocan. tit. VII. cap. I. & Bonefidius in lib. I. Iuris Orient. tit. de feriis, ὑπερένδοξος τῆς ἁγίας θεοτόκου μετάστασις; aliis autem Græcis, Andreæ Cretenſi, Symeoni Metaphraſtæ, Nicephoro, ac menæorum Græcorum auctoribus, κοίμησις: vnde & Latinorum plerique *Dormitionis* nomen illi indiderunt. *Accepi ſanè* (inquit S. Bernardus in ep. CLXXIV. ad Cano. Lugd.) *ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum quo adſumpta de ſæculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum.* Oſtendimus ſuprà in cap. x. erraſſe Baronium Cardinalem in notis Rom. Martyrol. ad XVIII. Kalend. Septemb. exiſtimantem

cœpiſſe

cœpisse in Galliis nostris Adsumptionis festum agi *circa tempora Karoli Magni*, ex eo quòd ipsius meminerint Concilium Remense an. DCXXX. & Pipini regis temporibus Chrodogangus Metensis Episcopus, hic in reg. canoni. cap. LXXIV. Illud verò in can. XX. Vt autem hic dies sanctorum memoriæ festus est, quo vitam cum morte commutauerunt, & endo cœlo recepti sunt: sic ille meritò nobis esse debet religiosus ac solemnis, quo beata virgo gloriosam vitam gloriosâ morte finiit, &, quemadmodum canit Ecclesia, *Exaltata est super choros Angelorum ad cœlestia regna.*

Dubitauere veterum scriptorum aliqui num Deiparæ Virginis corpus post mortem in cœlum translatum sit. Sed omnem nobis eâ de re dubitationem adimere videtur Iuuenalis Hierosolymitanus Patriarcha, de quo ista scribit Simeon Metaphrastes in orat. de ortu, educatione & decessu sanctiss. Dominæ nostræ Deiparæ, vbi Adsumptionis seu Dormitionis Mariæ historiam describit: *Quod dicimus confirmat Iuuenalis diuinus Hierosolymorum Episcopus. Fuit autem hic vir sanctus & à Deo inspiratus qui ab antiqua & vera traditione narrationem dicens ad se sic fuisse deductam ait, quod tres totos dies ad sepulcrum sancti permanserunt Apostoli, diuinas hymnodias ex alto audientes. Deinde, post tertium diem cùm vnus ex Apostolis tardiùs venisset ad exequias, vel quòd ita contigisset, vel quod diuinum ita prouidisset consilium, vt nota esset omnibus translatio admirabilis: tunc & ipse quidem accessit, & vt est consentaneum, magnum ex eo*


*cepit dolorem, quòd tanti boni mansisset expers, ídque omnino tolerare non poterat. Sacer itaque ordo Apostolorum non iustum esse iudicans, vt ipse quoque viuificum illud corpus non videret & amplecteretur, iubet statim aperiri sepulcrum. Et illud quidem fuit apertum; thesaurus autem nequaquam erat in eo, sed sola erant vestes in quibus fuerat conditus, quomodo etiam eius filij in resurrectione. Quas cùm ipse esset amplexus & qui cum eo aderant, & repleti essent inexplicabili dolore & gratia, rursus quidem claudunt sepulcrum.* Similia narrat Nicephorus Callistus in lib. II. hist. Eccles. cap. XXIII. Vixit autem Iuuenalis Hierosolymitanus Patriarcha vsque ad octauum Leonis Imperatoris annum, qui Christi est CCCCLXIV. Et interfuit Concilio Chalcedonensi contra Eutychem sub S. Leone Magno, an. Dom. CCCCLI. Vt ex Onuphrio colligit Christophorus de Castro S. I. Theologus in catalogo auctorum quibus suam Deiparæ historiam probat, pag. DCCX.

Huic tamen *antiquæ & veræ* (vt vocat Metaphrastes, de corporis Deiparæ Adsumptione, *traditioni* reluctantur, quæ apud Vsuardum monachum in martyrologio, & Adonem in fine libelli de festiuitatibus Sanctorum Apostolorum &c. leguntur. Adonis verba reddimus, à quibus non multùm abhorrent Vsuardi: *Beatissimæ Dei genitricis Mariæ Dormitionem* XVIII. *Kalend. sept. omnis celebrat Ecclesia. Cuius & sacrum corpus non inuenitur supra terram: sic nec beati Moysi sepulcrum quem sacra scriptura dicit à Domino sepultum. Tamen pia mater Ecclesia, quæ suis obseruationibus integerrimâ fide fundata consistit,*

*eius venerabilem memoriam sic festiuam agit, vt pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Vbi autem venerabile spiritus sancti templum illud, id est caro ipsius beatissimæ Virginis Mariæ, diuino nutu & consilio occultatum sit, magis elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid friuolum & apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad sanctitatem & vitam Virginis & matris Domini commendandam Euangelistarum testimonia, nec de ea quærere vltra necessariū putat.*

Verùm hoc vno telo Adonem & Vsuardum conficit Baronius in tom. I. annal. Eccles. ad an. XLVIII. num. XVII. sic scribens: *sed dicant velim* Ado & Vsuardus, *vbinam aut quando, vel quo saltem leui signo id quod dicunt, Ecclesia professa sit se nescire? cùm alioqui, licèt nullum de ea re decretum edixerit, in ipsis sacris Ecclesiasticis precibus, quas eâ die publicè recitare consueuit, id adfirmare sæpius videatur, versibus, responsoriis, antiphonis & lectionibus. In quam sententiam cùm Patres omnes, qui de ea re egerunt, æquè conspirent, & Scholasticorum classis pariter consentiat, nullus remanet dubitandi de ea re locus. Adeo vt perfrictæ frontis & procacis sit animi indicium, Ecclesiæ vniuersalis vsui & tot patrum sententiis non acquiescere, maximámque omnium esse temeritatem his omnibus contradicere.*

Nihil heic de aliis beatæ Mariæ festis, Præsentatione, Visitatione, Dedicatione ad niues, & Exsportatione differimus. Cùm enim vel nullis, vel paucis tantùm in locis obseruentur, amplissimam ex eorum infrequenti obseruatione segetem, illa resecandi colligent, quibus ita visum fuerit.



## CAPVT LIII.

*Feriæ* II. *&* III. *post Pascha*, II. *&* III. *post Pentecosten, Octaua Corporis Christi, festum omnium Sanctorum & Commemoratio fidelium defunctorum, dimitti possunt.*

MAxima quæque Christianorum solemnia diebus aliquot continuata fuisse, Paschatis & Pentecostes exempla exploratò indicant. Æquum enim est vt quibus illustriora commemorantur fidei nostræ mysteria, diuturniori pietate frequententur celebritates. Vt autem ijs agitandis modò plures, modò pauciores adsignarentur dies, fecit Christianæ fidei mensura, quæ primis Ecclesiæ temporibus amplissima fuit & capacissima, nunc proh dolor! angustissima consistit & arctissima. Vnde nunc Paschali festo tres tantùm dies, totidémque Pentecostæ adtributos videmus, & eos adhuc fortasse nimios esse, si qua hodiernæ pietatis, ac egentium artificum necessitatis habeatur ratio. Ideò quosdam è duplici illo duplicis illius celebritatis triduo rescecari posse dies non iuerim inficias.

Secundam itaque & tertiam post Pascha ferias videtur dissolui posse. Neque enim nouum est aut inusitatum, vt aliqui è Paschalibus so-

lemniis

lemnijs demantur dies. IV. ſæculo Imperatores Valentinianus, Theodoſius & Arcadius in cap. *omnes dies*, lib. III. eod. tit. XII. de ferijs & Aluredus Magnus in tit. XVIII. legum Eccleſiaſticarum, Paſchale feſtum XV. diebus agitandum ſtatuerunt. Nouem Haito Baſileenſis antiſtes, in Capitul. capp. VII. & VIII. ac VValterius Aurelianenſis Epiſcopus in Capitul. cap. XVIII. Octo Karolus Magnus in lib. I. Capitul. cap. CLXIV. & in lib. VI. cap. CLXXXVI. & Concilium Lugdunenſe in cap. *Pronuntiandum*, de conſec. ſeptem Concilium Trullanum, in can. VI. & Ludouicus Pius in lib. II. Capitul. cap. XXXV. Sex Concilium Matiſconenſe II. can. II. Quatuor Concilium Moguntinum M. in can. XXXVI. Concilium Oxonienſe, Exonienſis Synodus, & Millo d'Illiers Carnotenſis Epiſcopus, in Synodo an. MCCCCLXXXIX. Tribus nunc ferè vniuerſa Eccleſia; duobus Concilium Remenſe an. DCXXX. in can. XX. & vnico Chrodogangus Metenſis Epiſcopus in regula canonic. cap. LXXIV. ac Concilium Aquiſgranenſe II. in can. XLVI. Chrodogangi enim & Aquiſgranenſis Concilij II. verba ſunt iſta: *In Paſcha*: ſimpliciter ac ſiue exornatione vllâ. Iam verò ſi quindecim dies illi qui olim ad agenda Paſchatis ſolemnia adhibebantur, ad nouem, ſi nouem ad octo, ſi octo ad ſeptem, ſi ſeptem ad ſex, ſi ſex ad quatuor, ſi quatuor ad tres, ſi tres ad duo, & duo ad vnũ redacti ſunt: nonne vnico die concludi poterit (ita ſtatuentibus Epiſcopis) Paſchalis celebritas, cum iam

iam neque minor ſit quàm olim Eccleſiæ au-ctoritas, neque inferior Epiſcoporum poteſtas, & præterea maior occurrat ob temporis calamitatem, hominúmque malitiam feſtos dies imminuendi neceſſitudo?

Secunda quoque & tertia poſt Pentecoſten feriæ cur non reſcinderentur? Pentecoſten enim ſeptem diebus celebrandam cùm præceperit Ludouicus Pius in lib. II. capitul. cap. XXXV. poſtea verò quatuor Engilenheimenſe Concilium in cap. 6. his verbis: *In Pentecoſten 2. 3. & 4. feria non minus quàm dies Dominicus ſolemniter honoretur*; Oxonienſe Concilium, VVigornienſis Synodus Eccleſiæ Salisburienſis feſta enumerans, Exonienſis Synodus, Richardus Arundelius Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Millo d'Illiers Carnotenſis Epiſcopus; Deinde tribus, Concilium Toloſanum in cap. VII. Gregorius IX. in lib. II. decret. tit. IX. de ferijs, cap. *conqueſtus*: Synodus VVigornienſis, Conſtitutiones Synodales Diœceſis Carnotenſis, Statuta Pariſienſis Eccleſiæ ab Euſtachio Bellaio Pariſienſi Epiſcopo edita, Synodus Colonienſis ſub Adolpho Colonienſi Archiepiſcopo, & hodiernus vniuerſæ propemodum Eccleſiæ vſus: videtur vnico die ita ſtatuentibus Epiſcopis, poſſe agitari.

I. Enim vnico die abſoluebatur apud Hæbræos in antiqua lege. Huius obſeruationis luculentiſſimus teſtis eſt Moyſes, Exod. cap. XXIII. vbi Dominus ait: *Tribus vicibus per ſingulos annos niſi feſta celebrabitis. Solemnitatem azymorum cuſtodies. Et ſolemnitatem meſſis primitiuorum*

*tiuorum operis tui, quæcumque seminaueris in agro; solemnitatem quoque in exitu anni quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Nec remanebit adeps solemnitatis meæ vsque manè.* Per *solemnitatem* enim *messis primitiuorum operis*, Pentecostes festum à Scripturæ sacræ interpretibus intelligitur, quo familia quælibet duos panes ex primitiis frugum, in promulgatæ legis memoriam offerebat. Cùm autem *solemnitatem messis*, appellat, non verò *solemnitates*, vnius diei *solemnitatem* designat, sicut & cùm ait: *Nec remanebit adeps solemnitatis meæ vsque mane.* Itémque Leuit. XXIII. cap. *Numerabitis ab altero die Sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem Hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis Hebdomadæ septimæ; id est quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum, omne opus seruile non facietis in eo.* Vocabant ergo *hunc diem*, non *hos dies*, quia vnico die præceptum à Domino in festo Pentecostes sacrificium dabant. Ac demum in cap. XVI. Deuteron. *Septem Hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum Hebdomadarum Domino Deo tuo.* Non ait, *dies festos*, sed *diem festum*, vt vnius solummodo diei solemnia prædicet, Pentecosten nempe, quæ aut datæ legis in monte Sina festum erat, vt autumat S. Augustinus in ep. CXIX. ad Ianuarium cap. XVI. aut Hebdomadarum, sicut putat S. Hieronimus in cap. IV. epist. ad Gala. aut fortasse vtrumque simul. Idipsum

Iudaicorum

Iudaicorum rituum peritiſſimus, conteſtatur Ioſephus in lib. III. antiquit. Iudaic. cap. x. his verbis. ἑβδόμης ἑβδομάδος διαγεγενημένης, μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν, αὗται δ᾽ εἰσὶν αἱ τῶν ἑβδομάδων ἡμέραι τεσσαράκοντα ἐννέα τῇ πεντηκοστῇ, ἣν Ἑβραῖοι ἀσαρθὰ καλοῦσι, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν, προσάγουσι τῷ Θεῷ ἄρτον ἀλφίτων μὲν πυρίνων ἀσσάρωνας δύο μετὰ ζύμης γεγονότων. Θυμάτων δὲ ἄρνας δύο. τοῦτα μὲν γὰρ τῷ Θεῷ προσάγειν μόνον εἰς δεῖπνον τοῖς ἱερεῦσι σκευάζεται, καὶ καταλιπεῖν, οὐδὲν ἐστιν ἐξ αὐτῶν εἰς τὴν ἐπιοῦσαν συγκεχωρημένον. Ergo cùm nouæ legis Sacramenta *numero pauciora*, ſunt veteris Teſtamenti myſteriis, quemadmodum in epiſ. cxviii. ad Ianuarium tradit S. Auguſtinus; cur pluribus diebus in noua lege celebrabitur Pentecoſtes feſtum, quàm in antiqua, cuius onus erat grauiſſimum, & à quo nos Chriſtus vi potentis gratiæ liberauit, ſuaui iugo, & leui oneri ſubiiciens?

II. Vnico die actam olim Pentecoſten probant ea omnia Scripturæ ſacræ, Sanctorum Patrum & Conciliorum teſtimonia quæ in cap. v. ſuperiùs adduximus, vt *Pentecoſtes* ſeu *Quinquageſima* vocabulo, non Quinquageſimum tantùm poſt Paſcha diem, ſed totos Quinquaginta dies poſt Paſcha denotari probaremus. Si enim vltra Quinquageſimum diem fuiſſet prorogata Pentecoſte, non propriè πεντηκοστὴ, ſed πεντηκοστὴ πρώτη, δευτέρα, τρίτη, τετάρτη, κ. τ. λ. non propriè *Quinquageſima* ſed *Quinquageſima prima*, *ſecunda*, *tertia*, *quarta*, &c. fuiſſet nuncupata. Cùm autem Quinqua-

qua

quagesimo die post Pascha finem habuerint dies Pentecostes, vnico etiam die finem habuisse Pentecostes festum Scriptura sacra, Sancti Patres & Concilia significant.

III. Vnico die obseruandam imperant Pentecosten Concilium Remense an. DCXXX. in can. XX. Chrodogangus Metensis Episcopus in regul. cano. cap. LXXIV. Karolus Magnus in lib. I. Capitul. cap. CLXIV. Haito Basileensis Præsul in Capitul. cap. VII. Concilium Aquisgranense II. in can. XLVI. Herardus Turonensis Antistes in capitul. cap. LXI. VValterius Aurelianensis Episcopus in capitul. cap. XVIII. & Emmanuel Comnenus Imperator apud Photium in Nomocan. tit. VII. cap. I. & Bonefidium in lib. I. iuris orient. tit. de feriis vbi legitur, καὶ τῆς πεντηκοστῆς, sub. ἡ μέρα.

IV. Ante Concilium Constantiense à Gebehardo Constantiensi Episcopo & Apostolicæ sedis in Germaniam Legato coactum an. MXCIV. vnico die in omnibus ferè Germaniarum Diœcesibus agitabatur Pentecostes festum, quemadmodum auctor est Bertholdus Constantiensis in Historia seu Chronologia rerum gestarum sui temporis, verbis suprà relatis in cap. XXXIV.

Quid ergo damni feret Christiana respublica si feriæ II. & III. post Pascha, II. & III. post Pentecosten abrogentur? Imò necessarium quodammodo videtur vt irritæ maneant & antiquatæ Christianam plebem tot iteratarum continuatarúmque feriarum tædere comperimus experimento. Infinitam enim propè multi

*nè cognoſcenda huius myſteria Sacramenti: nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari.* Hoc *feſtum omnes Lutherani & Caluiniſtæ oderunt* (verba ſunt Bellarmini in lib.III.de cultu SS.cap.XVI.) *Sed immeritò. Nam etiamſi non eſſet verè Chriſtus in Euchariſtia (vt Caluiniſtæ dicunt) vel non deberet adorari (vt dicunt Lutherani) tamen adhuc iuſtum eſſet habere certum diem quo recoleremus memoriam inſtitutionis eius Sacramenti, quod etiam Lutherani & Caluiniſtæ maximum Sacramentorum eſſe concedunt.* Huius itaque ſanctiſſimi Sacramenti memoriam dignè & laudabiliter Eccleſia recolit, tum vt fidelis populus pro immenſo redemptionis beneficio Chriſti morte humano generi impenſo, gratias Deo referat quantum poteſt maximas; tum vt anniuerſariâ illius feſti celebratione, fidei catholicæ myſterium circa Euchariſtiæ Sacramentum luculentiùs ediſcat, firmiúſque memoria retinere moneatur; tum denique vt de mendacio & hæreſi Sacramentariorum victrix veritas glorioſum triumphum agat eiúſque hoſtes ex publica totius Eccleſiæ adoratione eximióque honore, quem Euchariſtiæ Sacramento exhiberi conſpiciunt, pudore adfecti, errore abjecto reſipiſcant atque ad meliorem ſe ſe frugem recipiant.

Non ideo tamen opus eſſe cenſeo vt huius feſti dies Octaua ſolemni cultu peragatur. Hanc enim in nullo vidi feſtorum albo imperatam; Quare vbicumque obſeruatur, ex conſuetudine potiùs quàm ex aliquo Eccleſiaſtico præcepto obſeruatur. Pariſiis autem Carnoti,

aliíſque

aliíſque in locis in quibus publica fit ſolemníſque eâ die ſupplicatio, vel abrogari poteſt omnino, vel peractâ ſupplicatione auditóque ſacro populus ad laborem ſuum remittendus. Porrò quas ſummi Pontifices Vrbanus IV. & Clemens V. Indulgentias Chriſtianis qui Eccleſiaſticis feſti corporis Chriſti ipſiúſque Octauarum officiis adfuerint elargiti ſint, his verbis cognoſcitur: *Nos Chriſti fideles ad colendum tantum feſtum & celebrandum donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis qui matutinali officio feſti eiuſdem in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: qui verò miſſæ, totidem: qui autem in primis ipſius feſti veſperis interfuerint, ſimiliter centum, qui verò in ſecundis, totidem: illis verò qui primæ, tertiæ & ſextæ, nonæ ac completorij officiis interfuerint, quo quolibet horarum ipſarum, quadraginta: illis autem qui per Octauas: illius feſti, matutinalibus, veſpertinis, miſſæ ac prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies ſingulis Octauarum ipſarum diebus, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli auctoritate confiſi, de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxamus.*

Feſtum omnium Sanctorum duabus tantùm de cauſis poteſt diſſolui. Tum quia qui illud feſtis accenſeat ante Herardum Turo. Ep. nullus eſt; tum etiam quia illud Occident. & Merid. Indis ſeruandum non dedit Paulus III.

Commemorationis omnium fidelium defunctorum officium feſto antiquius eſt. Officij meminit Amalarius Fortunatus Treuerenſis Epiſcopus

Episcopus qui Ludouici Pij Imperatoris ætate floruit, in lib. de ordine Antiphonarij cap. LXV. Festi institutionem acceptam referunt S. Odiloni Abbati Cluniacensi, Petrus Damiani in eius vita, Sigebertus in chron.ad an. Christi DCCCCIIC. Polydorus Virgilius in lib.VI. de Inuent.rer.cap.IX.& S.Vdalricus Benedictinus Monachus in cap.XLII.antiquiorum consuetudinum Cluniacensis monasterij, quas in tom. IV. Spicilegij sui primùm edidit doctissimus Acherius.

Licèt autem Guietus in heortol. lib.II. cap. XVIII. quæst. V. festum eiusmodi *vbique ferè seruari vsque ad meridiem* scribat, *Turonis reliquo etiam die, itavt habeat secundas vesperas, quod parum probatur*: antiquari tamen posse ex eo videtur, quòd in omnibus festorum dierum recensionibus antiquis non compareat, quæ supra sunt à nobis recensitæ. Primus mentionem eius injecit Richardus Arundelius Cantuariensis Episcopus, anno circiter MCCCC. Indixit illud Prouincialis Synodus Remensis an. MDLXXXIII. Sed reuocauit postea Ludouicus Cardinalis à Guisia Remensis Archiepiscopus in Rituali seu manuali libro, quem edendum anno MDLXXXV. curauit. Neque etiam nunc in iis feriarum recognitionibus deprehenditur, quas duo viri illustrissimi & omni laude majores, Iacobus Godellus Venciensis Episcopus, & Nicolaus Pauillonius Alectensis Pontifex, adornarunt, hic in libro Rituali ad suæ diœcesis vsum, ille verò in statutis & institutionibus Synodalibus. Et sanè

Q cùm

cùm in Constitutione Vrbani VIII. *Vniuersa per orbem* non memoretur, abrogatum ab eo Pontifice quis diffiteatur? abrogauit dimidiâ parte tenus Ioannes Archiepiscopus Treuirensis in Concilio II. Treuirensi, Adolphus Coloniensis Archiepiscopus in Synodo Coloniensi an. MDXLIX. Ludouicus Guillardus Carustensis Episcopus in constitutionibus Synodalibus an. MDL. Stephanus de Poncher Senonensis Archiepiscopus in Senonensi Synodo; & Ludouicus Cardinalis à Borbonio Senonensis item Archiepiscopus in Senonensi alia Synodo an. MDLIV.

## CAPVT LIV.

### *S. Michaëlis Archangeli festum siue Dedicationis, siue Adparitionis, siue Reuelationis rescindi potest.*

DVo S. Michaëlis Archangeli festa celebrat Ecclesia Romana: Adparitionis vnum, die VIII. Maij, alterum Dedicationis, XXIX. Septembris; Duo etiam commemorat Ioannes Belethus Parisiensis Theologus in breui diuinorum off. explicatione, vnum in cap. CXXIX. aliud in cap. CLIV. Aliæ plures Ecclesiæ, vt Carnotensis nostra, peculiaribus suis vtentes iuribus ac ritibus, vnius solummodo Dedicationis celebritatem agitant die Septembris XXIX.

&

& Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus, antea verò Carnotensis Ecclesiæ Decanus in Ration. diuin. off. cap. XII. lib. VII. vnicum etiam enumerat festum, quod vocat *de Reuelatione S. Michaëlis*, quodque cum festo Dedicationis confundit, vbi ait eo die fundatam in Gargano monte Ecclesiam & altare consecratum: *Ipsemet* (inquit) *fundauit Ecclesiam & consecrauit altare: vnde dicitur:* Stetit » Angelus iuxta aram templi, &c. *Hoc fuit in monte Gargano, postea verò reuelauit hoc hominibus per Episcopum illius religionis.* Vetus martyrologium, quod appellant Romanum, ab Heriberto Rosuueido editum, martyrologium S. Hieronymi nomine insignitum, VVandelbertus in metrico martyrologio, Ado Viennensis in martyrologio, Vsuardus in martyrologio puro puto & sine additamentis, vnius quoque Dedicationis S. Michaëlis Ecclesiæ mētionem, ad III. Kalendas Octobres faciunt, vt & beatus Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, in quo huiusce diei officium percenset.

Antiquitus cultum Christianis Dedicationis S. Michaëlis festum, nemo opinor Ecclesiasticarum rerum notitiâ vel tantillùm imbutus inficiabitur. Eius meminere quæ modò referebamus martyrologia & Sacramentorum S. Gregorij liber. Eius celebrationem fideli populo commendarunt Concilium Moguntinum I. in can. XXXVI. Haito Basileensis Episcopus in capitul. cap. VII. Ludouicus Pius in lib. II. Capitul. cap. XXXV. Herardus Turonensis antistes, in Ca-

pitul. cap. lxi. Concilium Lugdunenſe apud Gratianum in iii.part.decr.de Conſecrat.diſt. iii.cap. *Pronuntiandum* : Synodus Galonis & Simonis Legatorum, Oxonienſe Concilium, Concilium Toloſanum in cap. vii. Gregorius ix.in lib.ii.decretal.tit.ix.cap.*Conqueſtus*: Synodus MS. apud Cl. Feronium:Synodus VVigornienſis: Exonienſis Synodus: Radulphus à Riuo, Tungrenſis Decanus in lib. de can. obſer.propoſ.xvii.Richaldus Arundelius, Simon Mepham, & Simon Iſlip Cantuarienſes Archiepiſcopi, & alij feſtorum dierum nomenclatores. *Quidam Pretioſus Ioannes nomine Semen Iacob* (inquit Zaga Zabo Æthiopicus legatus, apud Damianum à Goës in epiſt. ad Paulum iii.)*conſtituit ex ſingulis menſibus vnum diem propter S. Michaëlem celebrandum.* Adeo vel apud remotiſſimas gentes celebris eſt illius feſti memoria. Neque immeritò ſanè. Atenim *Omnium Angelorum feſtum diem*(vt ait Duacenſis Academiæ Cancellarius Guillelmus Eſtius in diſtinct.x.lib.ii.ſentent.§ v.)*S.Michaëlis nomine, tanquam omnium principis, Eccleſia celebrat, atque in diuino officio* Primatem cœleſtis „ exercitus & Principem militiæ Angelorum „ & Præpoſitum paradiſi, *Michaëlem vocat.De quo etiam in feſto adparitionis eius legitur quòd eum vt olim Synagoga Iudæorum, ſic nunc cuſtodem & patronum Dei veneratur Eccleſia.* Et quis neſcit Eccleſiam ſingulis diebus in ea confeſſionis formula quâ nos ad eluendas ſcelerum noſtrarum maculas vti præcipit, S. Michaëlis opem & auxilium implorare? Quis neſcit S.

Franciſcum

Franciſcum Aſſiſinum, cùm in honorem S. Michaëlis ad quadragenarium adgreſſus eſſet jejunium, multo quàm antea copioſiùs ſuauiſſima diuini amoris tela perſenſiſſe, ſi ſancto Bonauenturæ fidem & auctoritatem adjungamus in legenda S.Franciſci cap.XIII.vbi ſcribit illa verba quæ in Breuiario Romano referuntur, in feſto impreſſionis Stigmatum in corpore S.Franciſci,ad diem Septembris XVII. *Fidelis reuera famulus & miniſter Chriſti Franciſcus biennio antequam ſpiritum redderet cœlo, cùm in loco excelſo ſeorſum, qui mons Aluernia dicitur, quadragenarium ad honorem Archangeli Michaëlis, jejunium inchoaſſet, ſuperna contemplationis dulcedine abundantiùs ſolito ſuperfuſus, ac cœleſtium deſideriorum ardentiori flammâ ſuccenſus, ſupernarum cœpit immiſſionum cumulatiùs dona ſentire.*

Inſtitutum porrò videtur in Galliis vniuersè noſtris fuiſſe S.Michaëlis feſtum hortatu, Cathuulphi, vt patet ex his eius epiſtolæ verbis *ad Domnum Karolum regem*, quæ refertur à Cheſnio in tom.II.hiſtor.Franc.*Ergo, mi Rex, ſi vobis placeat hoc conſilium pro his omnibus pro te & pro exercitu Chriſtianorum vt conſtituas ſuper regnum tuum cum conſilio Synodi Francorum, miſſam S. Michaëlis &c.* Nam neque Concilium Remenſe an. DC. celebratum, neque Chrodogangus Metenſis Epiſcopus, qui ſub Pipino rege floruit, feſtum S. Michaëlis diem inter alios quos enumerant recenſuere. Recenſuit autem Concilium Moguntinum I. Karoli Magni temporibus, Haito Baſileenſis Epiſcopus,

& alij poſtmodo, quos iam produximus ſcriptores. Qui ante Karolum Magnum recenſuerit, inueni neminem. Non aliâ igitur quàm huius Imperatoris ætate occepiſſe in Galliis dicendum eſt; quod quidem vt ad ſtabiliendam eius feſti antiquitatem ſufficit, ita ad retinendum in Eccleſia ipſius cultum ſatis eſſet, niſi aliæ rationes ſuppeterent, quæ reuocari & tolli poſſe perſuadent.

I. Enim aliis diebus feſtis non accenſetur ab ipſomet Karolo Magno ſiue in lib. I. Capitul. cap. CLXIV. Siue in lib. VI. cap. CLXXXVI. Neque à Concilio Aquisgranenſi II. in can. XLVI. Neque à VValterio Aurelianenſi Epiſcopo in Capitul. cap. XVIII. Neque ab Aluredo Magno Anglorum rege in tit. XVIII. LL. Eccleſias; neque ab Emmanuële Comneno ijs adjungitur qui toti feſti ſunt.

II. Videtur illud reſcidiſſe Eugenius IV. dum qui eo die laborauerint à mortali peccato exemit apud Nauarrum in encheir. cap. XIII. num. XV. vbi legas. *Papa Eugenius* IV. *Conſtituit vt laici qui operarentur in feſtis S. Crucis & S. Michaëlis menſis Septembris & in feſtis Innocentium & S. Silueſtri, non peccent mortaliter, niſi eiuſmodi dies Dominicis incidant.* Quæ verba petita ſunt à Nauarro ex libro cui titulus eſt, *Compendium Priuilegiorum Alphonſi de Caſarubias*, verbo *feſtiuitas*, quo loci habetur: *Eugenius* IV. *dixit quod ſaculares laborantes in feſtis S. Crucis & S. Michaëlis Septembris, ac SS. Innocentium & S. Silueſtri, non vult quod peccent mortaliter, niſi venerint in Dominica.* Si enim (vt recentiores Caſuitæ loquuntur)

loquuntur) qui festis diebus operantur, eos violant, & violando, mortali se se obstringunt peccato; Eugenius IV. à lethali scelere liberans qui die festo S. Michaëlis laborauerint, à festo etiam die violando liberauit, atque ideo festum diem aliquomodo reuocauit, dum ex feriato, actuosum effecit.

III. Dedicationis S. Michaëlis festum, non vni S. Michaëli, sed & omnibus Angelis sacrum esse locupletissimi testes sunt Ioannes Belethus, Guillelmus Durandus, Petrus de Natalibus, Baronius Cardinalis Bartholomæus Gauantus, &, si dignus est qui eis adnumeretur, egregius ille fabularum narrator Iacobus de Voragine. Ioannes quidem Belethus in breui diuin. off. explicat. cap. CLIX. quod inscribitur *De festo Angelorum siue Michaëlis*, ita loquitur: *Festum Angelorum quod hoc tempore colitur est Dedicationis, quando eis Basilicæ dedicatæ sunt, quoniam hoc festum omnium Angelorum dicitur. Ceterùm in festo S. Michaëlis cùm de Angelis omnibus agatur, Michaël nominatur, quia ipse praeest Paradiso, & ad suscipiendas animas princeps est constitutus.* Guillelmus Durandus in lib. VII. Rational. diuin. off. cap. XII. *De Reuelatione S. Michaëlis*, hæc ait: *Ecclesia facit festum de Angelis duplici ratione. I. est quia nobis ministrant. II. ratio est quia pugnant pro nobis contra Angelos malos. Huius autem belli Princeps est beatissimus Michaël, & ideo fit ei festum licèt sit de vltima Hierarchia, de inferiore scilicet ordine:* & postea, *cùm hoc festum sit commune omnium Angelorum, quare specialiter deno-*

 *minatur*

*minatur festum S. Michaëlis, & non Gabriëlis vel Raphaëlis? Respondeo, &c. ut homines vegerantes Angelos, perueniant ad consortium Anzelorum.* Petrus de Natalibus in lib. VIII. Catalo. cap. CXXX. sic habet: *Papa in honorem S. Michaëlis & omnium beatorum spirituum hanc diem, videlicet* III. *Kalend. Octob. per totum orbem statuit celebrandum: Dicitur etiam hoc festum* Memoria, *eo quòd in ipso omnium Angelorum memoriam agimus.* Baronius Cardinalis in Notis Martyrol. Rom. ad diem XXIX. Sept. ista scribit: VIII. *Idus Maij de Apparitione agitur: heic autem de Dedicatione Ecclesiæ, quæ facta videtur hac die, quâ omnium Angelorum solemnis memoria consueuit antiquitus in Ecclesia celebrari.* Bartholomæus Gauantus in Comment.in rubr. breu. Sect. VII. cap. VI. sic loquitur: *Nota quòd ad* VIII. *lectionem dicitur*, Quorum festum colimus: *Quia est festum omnium Angelorum, ut in oratione & lectione* IV. *patet & seqq. & quia Dedicatio hæc in monte Gargano facta fuit in Michaëlis & Angelorum memoriam, ut expresse dicitur in lect.* VI. *festi Adparitionis die* VIII. *Maij.* Ac denique Iacobus de Voragine in Legendæ aureæ cap. CXL. post medium ita fatur: *Hæc solemnitas dicitur memoria S. Michaëlis, in qua tamen solemnitate omnium Angelorum memoriam agimus, & omnes generaliter honoramus.* Ecclesia quoque Catholica diem illum Angelis omnibus consecratum apertè significat, dum eâ oratione in illius diei officiis vtitur, quæ Angelis omnibus communis est, quæque his verbis legitur in lib. Sacram. beati Gregorii,

ad

ad III. Kal. Octob. *Deus qui miro ordine Angelorum ministeria hominúmque dispensas, concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cælo semper adsistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.* Cùm itaque dies ille qui peculiari nomine S. Michaëlis appellatur, non S. Michaëlis solummodo, sed omnium vniuersaliter Angelorum sit: nec omnium vniuersaliter Angelorum, sed præcipuè Custodum, festus dies in Ecclesia vulgò celebretur ex Decreto Pauli V. dato XXVII. Sept. an. MDCVIII. (vt in cap. XII. eiusdem sectionis ait Gauantus) I. die non impedita officio IX. lectionum post festum Dedicationis S. Michaëlis, non adeo necessarius videtur festus ille dies qui III. Kal. Octobres S. Michaëli & Angelis omnibus dicatur, ac proinde dissoluendus.

IV. Imperatum in constitutionibus Synodalibus Remensis Diæcesis, mediam illud & ampliùs partem sustulit in Sacerdotali, seu Manuali Diœcesis eiusdem libro Cardinalis Guisianus Archiepiscopus Remensis, vbi festa Septembris percurrens, ait: *S. Michaëlis Archangeli, ab omnibus operibus vsque post Missam.*

V. Cùm ea die Dedicatæ S. Michaëli Ecclesiæ fiat memoria, quam quidem Ecclesiam adfirmat Baronius Card. in Notis ad Roman. Martyrol. ad diem Sept. XXIX. *Vetustate collabentem*, suis *diebus vidisse* se *instauratam*: quid opus est illius Ecclesiæ Dedicationem celebrari, quam Ecclesiam funditus euersam, constat.

VI. Ioannes l'Huillier Meldensis Episcopus

in Synodo habita die XIX. Sept. an. MCCCCXCIII. ipsum populorum pietati permisit agitandum, non imperauit ex præcepto: Sicut neque postea alij duo Meldenses Episcopi, Ioannes de Buz in Manuali libro, an. MDXLVI. & Ludouicus de Brezé, qui Concilio Tridentino interfuit, in Missali, an. MDLVI.

VII. Si festum SS. Angelorum Custodum, quod pariter omnium Angelorum festum est, Paulus V. *ad libitum Cleri*, seu *ex deuotione fieri concessit, non ex præcepto* (vt auctor est in cap. XII. modò laudato Gauantus) quare etiam S. Michaëlis, siue omnium Angelorum festum, *ad libitum Cleri*, siue *ex deuotione, non ex præcepto fieri*, non *concedetur?*

VIII. Meridionalibus & Occidentalibus Indis præceptum non fuit à Paulo III. in Bullâ, *Altitudo diuini consilij.*

IX. Denique alia ratio est cur imminui posse censeam S. Michaëlis festum diem, quia nimirum propè semper vindemiarum tempore accidit, quo à multis operariis, aliisque hominibus vel polluitur omnino, vel non vt oporteret peragitur; ideóque cùm iis oneri sit, videtur potiùs in totum tollendus è medio, quàm eâ ratione frequentandus quâ Carnoti superiore anno MDCLXVII. frequentari intelligimus. Ita res habuit communi Carnotensium ciuium consensu in generalibus Vrbis comitiis ad illud conuocatis, indictæ fuerant vindemiæ ad diem mercurij XXVIII. Septembris. Eo die vindemiam agitarunt plurimi,


timi, non omnibus agitare fas fuit. His postridie eius diei maturas vuas legere animus erat, sed impediebantur die festo S. Michaëlis. Id cùm præuiderent Ædiles qui vrbi gubernandæ præfecti sunt, supplice libello illustrissimum Carnutum Antistitem rogauere, vt audito sacro, putandi racemos aliáque ad vindemiam necessaria præstandi copiam faceret. Iustis eorum supplicationibus annuens humanissimus Episcopus, peculiari Decreto statuit, vt die festo S. Michaëlis, habitâ vindemiarium temporis ratione, Ecclesiarum Parochialium vrbis vicinorúmque locorum, Rectores horâ IV. Matutina Missam vel celebrarent, vel celebrandam in suis quilibet Ecclesiis curarent, in eorum qui vindemiis vacare necesse habebant commodum: quâ factâ, ijs manualia circa vindemias tantùm opera exercendi facultatem impertiuit. Prudentissimè quidem & sapientissimè. Sed quid ex eo contigit? Quibus concessa erat eo die laborandi licentia, totis animis totóque pectore laborarunt, & eo laborarunt ardentiùs, quòd suâ ipsorum memoriâ hoc in festo laborare licitum numquam fuerat, adeo.

*Nitimur in vetitum semper cupimúsque negata.*

Sícque dies ille festus neque quietus fuit, neque otiosus, sed actuosus nihílque à profestis discrepans. Itane verò agitandi festi dies in cælestium rerum contemplationem dati? Scio non peccasse qui laborarunt, propter da-

tam ab optimo Antiſtite laborandi libertatem & veniam: ſed multos ſcio qui eo die Miſſæ ſacrificio non adfuere, atque ita ex occaſione diei feſti peccauere. Ergo cùm non homines propter Sabbatum & feſtos dies, ſed Sabbatum & feſti dies propter homines conſtituantur, quid eſt cur non deſecetur S. Michaëlis celebritas, quæ mortalibus peccandi occaſionem tribuere poteſt, & reipſa tribuit?

Faciunt hæc rationum momenta vt eorum ſententiæ minimè ſubſcribendum putemus, qui idcirco ſeruandum opinantur S. Michaëlis feſtum, quòd habeatur in *Confiteor*, vt aiunt tollíque ex aliorum albo non poſſit niſi etiam tollatur ex *Confiteor*. Quaſi verò notiſſima illa Chriſtianæ Confeſſionis formula, etiam ſeruandorum feſtorum formula ſit: Quaſi verò non aliorum cælitum, dies feſtos oporteat agitari quàm quorum nomina ibi deſcribuntur? Valeant profectò Chriſti Domini feriæ omnes, ſi eiuſmodi ratiocinio detur auctoritas, cùm ne nominetur quidem Chriſtus; & retineantur omnia *Beatæ Mariæ ſemper Virginis*, feſta neceſſe eſt, quæ tamen omnia religioſo & feriato cultu numquam celebrata ſunt Chriſtianis. Deinde quid illis feſtis fiet quæ antiquitus fuere obſeruata, SS. Innocentium, S. Stephani, S. Laurentij, S. Martini, Dedicationis Eccleſiæ, ac præcipui Patroni, de quibus ne γεῦ quidem aut μεῦ vulgatæ Confeſſionis auctor non admodum antiquus.



## CAPVT LV.

*Remanentibus Natalis S. Ioannis Baptistæ, & SS. Apostolorum Petri ac Pauli solemniis; aliorum vndecim Apostolorum, S. Andreæ, S. Iacobi Maioris, S. Ioannis, S. Thomæ, S. Iacobi Minoris, S. Philippi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, S. Simonis, S. Iudæ seu Thaddæi & S. Matthiæ festa imminui possunt.*

REtinendumI verò existimo Natalis S. Ioannis Baptistæ festum, non quia memoratur in *Confiteor*, sed I. quia in omnibus ferè veteribus & recentioribus feriatorum dierum καταλόγοις comparet. II. Quia maximarum celebritatum numero accensetur in can. XXI. Concilij Agathensis sub Symmacho Papa III. quia honorificam illius mentionem fecere S. Augustinus in serm. XX. & XXI. de sanctis, & S. Bernardus in epist. CLXXIV. ad Canon. Lugdun. vbi ait: *Meritò Ecclesia quæ ceterorum non natiuitatem sed mortem sanctorum iudicat & prædicat pretiosam, singulari quadam exceptione festis præfert gaudiis, veneratúrque illius natalem, de „ quo nuntiante Angelo singulariter legit:* Et multi „ in Natiuitate eius gaudebunt. IV. Denique quia

quia æquiſſimum eſt vt illius Sancti Natalibus diem feſtum conſecrent Chriſtiani, quo ( vti Chriſtus ipſemet teſtatus eſt in cap. XI. S. Matthæi ) *Non ſurrexit inter natos mulierum major.* Cùm & ipſe Spiritus ſanctus feſtum hunc diem videatur imperaſſe in cap. I. S. Lucæ, vbi ait ad Zachariam Gabriel Angelus : *Vocabis nomen eius Ioannem & erit gaudium tibi & exultatio & multi in Natiuitate eius gaudebunt, erit enim magnus coram Domino.* Celebritatem huius feſti maximè indicat antiquus Eccleſiæ Latinæ ritus, tres Miſſas eo die peragentis, vt tradunt Ordo Romanus, Albinus Flaccus in lib. de diuin. offic. & Amalarius Fortunatus in lib. III. de Eccleſ. off. cap. XXXVIII.

Retinendum quoque reor SS. Apoſtolorum Petri & Pauli feſtum diem, cuius ſolemnia ſic cecinit Aurelius Prudentius in hymno XII. quem SS. Petro & Paulo nuncupauit :

*Plus ſolito coeunt ad gaudia, dic, amice, quid ſit?*
*Romam per omnem curſitant ouántque.*
*Feſtus Apoſtolici nobis redit hic dies triumphi,*
*Pauli atque Petri nobilis cruore.*

Cuius & S. Hieronymus in epiſt. XIX. ad Euſtochium de acceptis ab ea munuſculis, & omnes ferè feſtorum dierum nomenclatores meminere.

Feſtos aliorum vndecim Apoſtolorum dies, S. Andreæ ſcilicet, S. Iacobi Majoris, S. Ioannis, S. Thomæ, S. Iacobi Minoris, S. Philippi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, S. Simonis, S. Iudæ ſeu Thaddæi, &c. Matthiæ, videreur quidem ideo non poſſe reſcindi, quòd Apoſtolico

Apoſtolico firmamento Catholica, innitatur Eccleſia (ex S. Paulo in epiſt. ad Epheſ. cap. II.) *Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu* : & in pleriſque veteribus feriatorum temporum recognitionibus legantur Imperati : & eos omnes Vrbanus VIII. feſta imminuens Conſtitutione ſuâ (*Vniuerſa per orbem*) illæſos atque intactos, prætererit. Verùm hæc tanti denique non ſunt vt ab ijs reſecandis Epiſcopos debeant deterrere.

Nam I. eiuſmodi feſta iccirco diſſolui non poſſe cenſent aliqui, quia vniuersè per totam aguntur Eccleſiam. At nihili faciendam rationem illam duo perſuadent. Alterum quia tolli poſſe ab Epiſcopis feſta quædam vbique locorum obſeruata, in cap. XLV. ſupra probauimus alterum, quia vbique locorum à Chriſtianis non agitari illorum vndecim Apoſtolorum feſta, ex dicendis poſtea innoteſcet.

II. Nullius Apoſtoli feſtum diem perſequitur Concilium Toloſanum an. MCCXXVIII. in cap. VII. in quo Eccleſiaſticas ferias recenſet, apud Cl. Acherium in tom. II. Spicilegij : ac nequidem SS. Petri & Pauli.

III. Vnius SS. Apoſtolorum Petri & Pauli vel Apoſtolorum omnium ſimul, celebritatis meminere Imperatores Valentinianus, Theodoſius & Arcadius in lib. III. Cod. tit. XII. de feriis, cap. *Omnes dies*, vbi de illis diebus agunt quib' iuſtitiũ educitur, atq; inter alia, hęc habẽt: *Quo tempore commemoratio Apoſtolicæ paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ, à cunctis iure celebratur.* Et Theodoſius idem A. apud Baronium

ad an. ccccxxv. num. vi. eadem ferè verba repetens: *Quo tempore & memoratio Apostolicæ Passionis totius Christianitatis magistræ, à cunctis rite celebratur.* Neque enim in his locis per *Apostolicæ Passionis commemorationem* siue *memorationem*, omnium singulatim Apostolorum, sed vel SS. Petri & Pauli sola & vna vel coniunctè omnium Apostolorum *Commemoratio* accipienda est. Photius enim Constantinopolitanus Patriarcha, qui in Nomocanone, tit. vii. cap. i. Caput *Omnes dies*, in pauca contraxit, quæ ad rem nostram attinent verba sic Græcè reddidit: ἡ τοῦ πάθους τῶν Ἀποστόλων. Atqui si Apostolos omnes & singulos intellexisset, profectò non dixisset ἡ τοῦ πάθους τῶν Ἀποστόλων, reticendo vocem ἡμέρα, sed αἱ τοῦ πάθους τῶν Ἀποστόλων, subaudiendo ἡμέραι; neque scripsisset ἡ in singulari, sed αἱ in plurali numero; neque etiam Imperatores illi scripsissent *commemoratio & memoratio*, sed *commemorationes & memorationes.* Itaque per *Apostolicæ Passionis commemorationem*, significatum ab ijs arbitror diem quo vno omnium Apostolorum celebritas apud Græcos Latinósque frequentabatur, quod maximè videtur probabile, nec alienum est à sententia Gothofredi in suis ad cap. *Omnes dies* obseruationibus & Notis. Vna igitur siue SS. Petri & Pauli, siue omnium Apostolorum coniunctim peragendo festo, satis erit dies.

iv. Feriarum id genus omnium ne vna quidem in *paruo Martyrologio Romano vetustissimo* legitur quod Ægidius Bucherius in Victorij Aquitani

Aquitani Canonem Paſchalem cum notis edidit, & quod ſcriptum putat circiter annum Domini CCCLIV. Ibi enim iſta tantùm de Apoſtolis inuenias; VIII. *Kalend. Martij, Natale Petri de Cathedra.* III. *kalend. Iulij, Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe.* Nam vbi poſtmodo legitur. VI. *Id.* Iulij, *Felicis & Philippi in Priſcillæ & in Iordanorum*; Philippum hunc ne putes Apoſtolum, ſed vnum è ſeptem fratribus, filiis S. Felicitatis Martyris, qui tempore Antonini Imperatoris ſub præfecto Vrbis Publio, Romæ paſſi ſunt.

V. Paulus III. apud VVaddingum in tom. VIII. Annal. Minorum, vnicum SS. Petri & Pauli feſtum Indis Occidentalibus & Meridionalibus indicit, in Bullâ (*Altitudo diuini conſilij*) anno MDXXXVII. editâ. Aliorum Apoſtolorum ferias nullas enumerat. Quod & facit Aluredus Magnus in Il. Eccleſ. tit. XVIII.

VI. Cùm S. Barnabæ feſtum vel obſeruatum non fuerit, vel à pleriſque Epiſcopis imminutum jam à longo tempore, quemadmodum ex ſequenti capite conſtabit: cur non & hodie quoque aliorum vndecim à SS. Petro & Paulo Apoſtolorum feſta poterunt vel non obſeruari, vel reuocari. At S. Barnabas (inquies fortaſſe) nec erat è XII. Apoſtolorum Collegio, nec Chriſtum in terris agentem contuitus eſt. Quid tum? Neque è XII. Apoſtolorum Collegio erat, neque Chriſtum in terris agentem contuitus eſt S. Paulus, & tamen illius memoriam feſtam feriatámque recolit Eccleſia, eiúſque mortis diem ſuis adnumerat ſolemniis.

Præterea

Præterea si eorum omnium qui Christum præsentem inspexere, nostrâ carne mortali inductum agendæ essent celebritates, quot ageremus, Deus bone! *Patria est non exsilij frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festiuitatum ciues decet non exsules*, vt cum Bernardo loquar ad Lug. Canonicos scribente.

VII. Vno die, Kalendis scilicet maiis, agitatum fuisse olim omnium Apostolorum simul festum, testatur Ioannes Belethus in explicat. diuin. off. cap. CXXIV. his verbis: *Nunc dicendum est de quibusdam solemnitatibus, quæ hoc tempore in Ecclesiis celebrantur, videlicet de festo SS. Philippi & Iacobi, & omnium Apostolorum. Sic enim est in magnis & plenis Kalendariis. Cùm tempus hoc maximè solemnitatibus conueniat, cùmque in primitiua* Ecclesia *Apostoli non haberent particulares solemnitates, statutum fuit vt ipsis Kalendis maij celebraretur solemnitas in honorem omnium Apostolorum. Hoc etiam die festum est Philippi & Iacobi, idque ideo, quia forte illo die passi sunt.* Testatur & post Magistrum suum Ioannem Belethum (vti vocat) Guillelmus Durandus in lib. VII. Rational. diuin. off. cap. X. vbi scribit: *Vt tempus Paschale concordaret solemnitatibus quæ intra illud eueniunt, præsertim cùm Apostoli in Ecclesia primitiua non haberent particulares solemnitates, statutum fuit vt in Kalendis maij celebrarentur solemnitates ad honorem omnium Apostolorum, vt dies varij non viderentur diuidere quos vna dignitas & Apostolatus in cœlesti gloria fecit esse sublimes: quod festum Græci celebrare dicuntur in festo Apostolorum Petri &*

Pauli

*Pauli. Hac etiam die festum est Apostolorum Philippi & Iacobi, quia fortè die istâ passi sunt.* Idem ante duos illos scriptores obseruatum fuerat à Micrologo in lib.de obseru. Eccles. cap.LV. in quo dicit. *Inuenitur in martyrologiis siue in Sacramentariis festiuitas SS. Iacobi & Philippi, & omnium Apostolorum.* Atque eo sensu exponenda sunt illa verba Haitonis Basileensis Episcopi in Capitul.cap.VIII.*Duodecim Apostolorum, maximè tamen SS. Petri & Pauli qui Europam sua prædicatione illuminauerunt* : Nicolai I. in cap. XI. respons.ad consul. Bulgar. *In solemnitatibus vtique SS. XII. Apostolorum* : Concilij Lugdunensis in III.par.decr.de cons.dist.III.cap.*Pronunciandum : Duodecim Apostolorum, maximè tamen SS. Petri & Pauli qui mundum sua prædicatione illuminauerunt* ; & aliorum omnium qui his aut aliis eiusmodi vocabulis festos SS. Apostolorum dies, ante annum Christi DCCCCXXXII. quo celebratum legimus Erpfordiense Concilium, generatim indixere. Neque enim alios dies festos innuunt quàm vel SS. Petri & Pauli, vel SS. omnium Apostolorum simul, inter quos primas tenent SS.Petrus ac Paulus : vnde & addunt aliqui : *maximè tamen SS. Petri & Pauli.* Cùm autem vnam & eandem diem vni SS.Petri & Pauli, vel potiùs vni SS. Petri & Pauli aliorúmque Apostolorum festo adsignant, illud ex more Græcorum decernunt, qui (auctore Durando) *In festo Apostolorum Petri & Pauli, ad honorem omnium Apostolorum festum celebrare dicuntur* ; Latini siquidem festum id genus ipsis Kalendis maijs antiquitus

celebra

celebrabant. Eius porro Græcorum consuetudinis etiam meminit in nouella sua apud Photium Emmanuël Comnenus, dum postridie diei festæ SS. Petro & Paulo, duodecim Apostolorum celebritatem ita persequitur: ἡ λ′ (τοῦ Ἰουνίου) διὰ τὴν ἐπὶ τοῖς δώδεκα: licèt singulas Apostolorum celebritates suo loco percenseat. Si ergo vno eodémque die olim Apostolorum omnium solemnia frequentabantur, quid impedit quominus etiam nunc vno & eodem die frequententur? Sanè ante Concilij Erpfordiensis ætatem non fuisse imperatas singulorum Apostolorum ferias scribit Sethus Caluisius in opere Chronologico ad an. DCCCCXXXII. Verba Concilij Erpfordiensis ista sunt in cap. I. *Deinceps natalitia XII. Apostolorum summâ veneratione solemniter celebrentur, & in vigiliis antiquitùs statutis, atque hactenus ab antecessoribus nostris seruatis, jejuniorum vota omni persoluere decernimus: quia quos cœlitus sublimioris meriti scimus, hos & amplioris dignitate honoris à nobis colenda esse non dubitamus.* Post Concilium illud accuratiùs de Apostolorum singulorum festis scripsere Concilia & Ecclesiastici scriptores; Concilium Ænhamense Pan-Anglicum an. MIX. in cap. XV. *Singulorum Apostolorum festiuitates religiosè quisque celebret jejunio*; Canutus Anglorum Rex in tab. XVI. LL. Ecclesiast. Saxonicè editarum à Spelmano cum interpretatione Latinâ Lambardi: *Ad singulos diuæ Mariæ, atque Apostolorum omnium dies festos*; Concilium Oxoniense: *festa omnium Apostolorum*; & alij plerique. Haito quidem

dem Basileensis Episcopus festo *Duodecim Apostolorum maximè tamen* SS. *Petri & Pauli* addit festum S. *Ioannis Euangelistæ*, iisdémque Nicolaus I. in cap. v. respons. ad cons. Bulgar. S. Andreæ feriam, adjungit: sed ideo, quia præter communem Apostolis omnibus celebritatem, peculiares duas alias, vnam S. Ioanni Euangelistæ, alteram S. Andreæ, dicandas existimarunt, secundum à Petro & Paulo inter Apostolos locum occupantibus. Sed fac Haitonis & Nicolai I. temporibus obseruata fuisse singulorum Apostolorum solemnia. An idcirco aliquorum ex illius non poterunt imminui festi dies? Post Haitonem & Nicolaum I. Aluredus? Magnus Anglorum rex in LL. Ecclesiast. tit. XVII. festi SS. Petri ac Pauli, solummodo meminit; celebritatum, S. Ioannis Euangelistæ, SS. Petri & Pauli ac S. Andreæ, VVigorniensis Synodus duplicia Salisburiensis Ecclesiæ festa percensens. Ac proinde non omnes Apostolorum ferias obseruandas imperarunt, Haitone & Nicolao I. posteriores, Aluredus, & VVigorniensis Synodus. Deinde festos SS. Matthiæ, Bartholomæi ac Thomæ Apostolorum dies anno MCCCCLXXXXIII. die XIX. Sept. Ioannes l'Huillier Meldensis Episcopus in sua Synodo, anno MDXLVI. Ioannes de Bus, Meldensis itidem Episcopus in libro Manuali: an. MDLVI. Ludouicus de Brezé Meldensis quoque Episcopus in Missali, populorum pietati reliquerunt, neque ab opere seruili liberos esse voluerunt. Et in Meldensi Episcopatu hodie quoque non aguntur tres illi festi

festi dies. Trium Apostolorum tantùm S. Ioannis Euangelistæ, ac SS. Petri & Pauli duos festos dies enumerat in Statutis, cap. LI. Guigo V. Carthusiæ majoris Generalis Prior, etiam post Haitonis & Nicolai primi tempora ac Concilij Erpfordiensis celebrationem. Et in cap. II. tertiæ par. Statutorum nouorum Carthusiani ordinis §. XVII. ( quæ statuta Guigone multò recentiora sunt ) *Conuersi* dicuntur *non cessare ab operibus In festis Apostolorum Thomæ & Matthiæ*; quod argumento est duo illa festa solemni cultu agenda conuérsis eiusmodi fratribus non edici. Festum quoque S. Matthiæ cum iis non inuenitur quæ in Senonensibus Synodis percurrunt Stephanus de Poncher & Ludouicus à Borbonio Cardinalis, Senonenses Archiepiscopi. Præterea S. Matthiæ festum aliquando tempore quadragesimali euenit, quo Concilia, Laodicenum in can. LI. & LII. ac Toletanum X. in can. I. vetant, ne vlli siue martyrum, siue aliorum cœlitum festi dies obseruentur, vti in cap. LII. suprà diximus. Denique S. Iacobi majoris celebritas ferè semper triticeæ messis temporibus accedit, quibus rusticam progeniem laboribus inuigilare necesse est; síque metuendum ne festum illud in Christianæ pietatis officiis agitandum violetur ac prophanum fiat. Nihil heic de vetertimo Kalendario loquor quod iam adseruari dixi in bibliotheca capituli Carnotensis Ecclesiæ; nihil de eo quod emisit in lucem Ioannes Fronto; in quibus pauci reperiuntur dies Apostolorum feriati. Cùm enim ante Haitonem & Nicolaum I.

credan

credantur conſcripta, paucos ante Haitonem tantùm & Nicolaum I. feriatos Apoſtolorum dies fuiſſe indicant, quod nemo mihi negauerit, qui curatas à Concilio Remenſi an. DCXXX. in can. XX. Et Chrodogango Metenſi Epiſcopo in reg.cano.cap.LXXIV. Feriarum recognitiones perpenderit, quæ ſolas Apoſtolorum Petri & Pauli, Andreæ & Ioannis, celebritates nobis repræſentant. Nam & ipſis etiam Haitonis temporibus, neque multo ante Nicolaum I. Karolus Magnus in lib.I. Capitul. cap.CLXIV. & in lib.VI. cap.CLXXXVI. & Concilium Moguntinum I. in can. XXXVI. non aliorum quàm præſcriptorum quatuor Apoſtolorum feſta perſequuntur.



## CAPVT LVI.

*S. Barnabæ Apoſtoli, SS. Lucæ & Marci Euangeliſtarum, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentij, SS. Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij, S. Sebaſtiani, S. Martini, S. Ioſephi, S. Ludouici, S. Nicolai & S. Rochi feſta abrogari poſſunt.*

VNo ictu reſcindi poſſe hæc feſta omnia ſatis abundanter probauerimus, ſi reſciſſa à Paulo III. in Bulla, *Altitudo diuini Conſilij,*

*lij*, dixerimus. Atqui ita factum ipſa Bullæ verba quæ produximus in cap. XXIX. liquidò oſtendunt. Verùm hæc vniuerſalior fortaſſe videbitur ratio. Aliæ adferendæ ſunt quæ ſingula feſta contingant.

S. Barnabæ Apoſtoli, SS. Lucæ & Marci Euangeliſtarum feſta cùm in antiquis feſtorum dierum albis neque legantur, neque in pleriſque diœceſibus vt Bellomatenſi, Meldenſi & aliis, ſeruentur & abrogata fuerint ab Vrbano VIII. in conſtitutione *Vniuerſa per orbem*, cur non abrogari iterum poſſint! Sanctorum Barnabæ & Lucæ feſta diſſoluit Iacobus Cadnuſius Epiſcopus Sagienſis. Ioannes Archiepiſcopus Treuirenſis in Concilio II. Treuirenſi, S.Marci feſtum dimidio tenus ſuccidit; integrum S. Lucæ, Stephanus de Poncher Senonenſis Archiepiſcopus in Concilio Prouinciali Senonenſi, & S. Marci *Ab omni opere vſque poſt meridiem* præcepit obſeruari; neque S. Barnabæ celebritatem aliis adnumerauit quorum ſeriem in eadem Synodo contexuit. Quod & idem à Ludouico Barbonio Cardinali & Archiepiſcopo Senonenſi, anno MDLIV. in alia Senonenſi Concilio decretum legimus. Solidum quoque S. Lucæ diem feſtum ſuſtulit Cardinalis à Guiſia Remenſis Archiepiſcopus in Manuali libro; ibidémque S.Marci, ab omnibus operibus *vſque poſt miſſam* tantummodo indixit, vti antea in Synodalibus diœceſis Remenſis fuerat conſtitutum: deniqueSS.Lucæ & Marci ſolemnia ab Auguſtanis Epiſcopis Chriſtophoro & Othone diſſoluta ſunt.

S. Stephani

S. Stephani festum dissolui posse duo subinnuunt. Alterum quòd in Concilio Remensi an. DCXXX. can. XX. non memoretur. Alterum quòd postridie Domini Natalis eueniat, quo tempore duo se se consequentia festa miseris & pauperibus operariis non incommodare non possunt.

Etiamsi *flores martyrum* à S. Augustino in serm. x. de Sanctis, post Aurelium Prudentium Clementem in hymno XII. Epiphaniæ, appellentur sancti infantes Innocentes, qui Christo Domino quem recens natum nondum nouerant, vitam quam recens acceptam nondum etiam nouerant, profudere. Etiamsi antiquissima sit eorum celebritas in Ecclesia, vtpote cuius in Homilia III. in diuersos Euangelij locos, meminerit Origenes; iis tamen in locis quibus imperatur, coërceri potest atque eleuari. I. quia neque à Concilio Remensi prædicto, neque in Synodo Galonis & Simonis Apostolicæ sedis legatorum inuenitur. II. quia non *peccare mortaliter* qui ea die laborauerint, apud Nauarrum in Enchirid. cap. XIII. num. XV. & Alphonsum de Casarubias in compendio priuilegiorum verbo *festiuitas*, definiuit Eugenius IV. Romanus Pontifex, vt obseruauimus in cap. LIV. superiùs. III. quia hanc ad nutum obseruandam tradidit in Synodo Meldensi an. MCCCCXCIII. Ioannes l'Huillier Meldensis Episcopus. IV. quia imperatam in Synodalibus Remensis Prouinciæ sic temperauit Cardinalis à Guisia in Manuali libro: *Innocentum, ab omnibus operibus vsque post mis-*

*sam.* v. quia dimidiam illius partem in Concilio II. Treuirensi sustulit Ioannes Treuirensis Archiepiscopus. vi. demum quia à Synodis Senonensibus ? sub Stephano de Poncher Archiepiscopo Senonensi an. MDXXIV. & Ludouico à Borbonio Card. & Archiep. Seno. an. MDLIV. & à Synodo Carnotensi, an. MDXXVI. in totum est imminuta, vt videre licet apud Bochellum in lib. IV. Decret. Eccles. Gall. tit. VII. capp. XLI. & XLIII.

Celeberrimum olim apud Græcos fuisse S. Laurentij martyris festum, apertè indicant ista apud Symeonem Metaphrasten verba in actis S. Matronæ : *celebrabatur publicum & venerandum festum Laurentij martyris , in cuius templum confluxerat maxima multitudo populi , & diem in eo transigebant.* At præterquàm quod in Concilio Remensi non legitur , Neque in Concilio I. Moguntino , neque in Capitularibus Karoli M. & Ludouici Pij, Haitonis, Herardi & VValterij , neque in Statutis Guigonis Carthusiani , quia semper triticeæ messis tempore contingit , quo vel ab agricolis polluitur vel si voluerint illud dignè peragere, plurimùm ipsis facessit incommodi , & quia ab Emmanuële Comneno diebus in totum festis non adscribitur , ideo tolli posse crediderim.

Sancti quoque Dionysij ac sociorum eius Rustici & Eleutherij memoriæ diem sacrum, nullibi fere quàm in Galliis celebratum à duobus ad summum sæculis, Carnotensis Synodus an. MDXXVI. dum dissoluit, hunc etiam

iterum

iterum diſſoluendi facultatem Epiſcopis reliquit. Agitandum ſtatuit in Manuali libro Cardinalis Guiſianus, *ab omnibus operibus vſque poſt Miſſam* ſolùm.

S. Sebaſtiani feriam cùm nullum fermè in veteribus recentioribúſque feſtorum dierum καταλόγοις locum habeat, abrogari poſſe certius eſt, quàm vt aliâ indigeat probatione. Eam tamen à modò laudatâ Carnotenſi Synodo, & Iacobo Camuſio Sagienſi Epiſcopo antiquatam fuiſſe, nolo heic omittere.

Remitti etiam poſſunt omnium quos ſolemni ratione agit Eccleſia SS. Confeſſorum feriati dies, nullo dempto, ne eo quidem qui S. Martino conſecratur, etiamſi in infinitis propemodum feſtorum recenſionibus inueniatur adnotatus. *Videre eſt hodie* (vt S. Bernardi verbis vtar in ſerm. v. in feſto omnium SS.) *Multis in locis non ſine multâ ambitione & comeſſatione præſentem diem honorari. Honorari an dehoneſtari dicam? Ipſi viderint qui hæc agunt.* Enimuero crapulæ & compotationes, quibus hac in luce plerique plebeij homines miſerabili ritu totos ſe tradunt, amplam illius feſti cohibendi materiam Eccleſiæ Pontificibus ſubminiſtrant, quibus id curæ maximè eſſe debet, vt quæ Sanctorum nomine agitantur celebritates, ſanctè vtique à fidelibus populis agitentur. Quid S. Martino debeat vniuerſa Gallia, non mihi latet. Scriptores Eccleſiaſticos ſcio maximi nominis qui de eo verba fecerunt, non aliter illum prædicaſſe, quàm virum Patriarchis, Prophetis & Apoſtolis æqualem;


non ignoro eum isto nomine à primis Galliarum nostrarum regibus peculiariter honoratum; neque postremò clam me est innumerabilibus quibus ante & post mortem claruit miraculis, sanctissimum illum Turonensem Episcopum, fuisse commendatum, totúmque terrarum orbem sui nominis famâ impleuisse; & rationes illas satis efficaces esse vt in Gallijs præsertim festus dies illi dedicetur. Sed neque etiam me præterit beato Martino summopere displicere prophanum hunc & paganum prorsus morem quo Christiani complures sacratum ipsius in cælo Natalibus diem peragunt: eúmque malle institutam in sui honorem feriam Catholicæ plebis pietati liberam relinqui, quàm ebrietatis & luxuriæ vel minimam occasionem subministrare. Deinde verò sic cohibita legitur à Cardinali Guisiano in Manuali, *Martini Episcopi, ab omnibus operibus vsque post Missam*; omninóque resecta videtur ab Vrbano VIII. cuius in Bulla *vniuersa per orbem*, non deprehenditur & à Simone Mepham Cantuariensi Archiepiscopo in Concilio Magfeldensi.

SS. Iosephi, Ludouici, Nicolai & Rochi festa, quia recenter indicta sunt, neque in plerísque Diœcesibus obseruantur reuocari quoque possunt. Eorum tamen omnium antiquissimum est quod S. Nicolao consecratur. Abrogauit illud Vrbanus VIII. in Bulla (*Vniuersa per orbem.* Sic agendum constituit Cardinalis à Guisia in Manuali: *Nicolai Episcopi, ab omnibus operibus vsque post Missam.* S. Iosephi solemnia

lemnia à Sixto IV. renouata, à Gregorio XV. cum Decreto ſacræ Rituum Congregationis VIII. Maij MDCXXI. præcepta ſcimus, ſed non toti Eccleſiæ probata, cùm illa in Franciâ naſci viderimus non ita pridem, & etiam nunc neque in Carnotenſi noſtrâ, neque in Meclinienſi, neque in Remenſi, neque in aliis multis Diœceſibus celebretur, quemadmodum in Eccleſiaſticis earum libris animaduertere eſt. Nec Imperatus, nec vniuerſaliter in Eccleſia ſeruatus eſt S. Rochi feſtus dies, ſed ex vulgi ſolummodo pietate. Et qui S. Ludouico ſacer eſt, noſtrorum dumtaxat patrum ætate incepit in Gallijs ſolùm, vbi eum Cardinalis Guiſianus in Manuali omninò diſſoluit, quamuis in Synodalibus Prouinciis Remenſis conſtitutionibus indictum.



CAP.



## Caput LVII.

*S. Catharinæ, S. Annæ, S. Mariæ Magdalenæ & alius quàm magis præcipui cuiuslibet Ecclesiæ Patroni, festa dimitti possunt: nimiúsque priuatorum quorumdam festorum Dominicis diebus agi consuetorum, & eorum qui priuatâ auctoritate sodalitates nonnullæ instituerunt, vsus temperari. Demptis diebus festis aliquot, demi etiam possunt quæ eos præcedunt jejunia, quamuis illa retineri satius sit.*

Recentius est S. Catharinæ festum, quàm vt irritum fieri nequeat. Non enim in antiquis feriatorum temporum recognitionibus habetur, neque etiam in eâ quam Ossatus Cardinalis in epist. CLXXI. adornauit. Non colitur in plerisque Diœcesibus, vt in Remensi atq; aliis quibusdam. Non erat de præcepto (vt loquuntur) in Carnotensi Diœcesi tempore Millonis d'Illiers Carnotensis Episcopi, vt ex eius Synodo colligitur an. MCCCCLXXXIX. Reuocauit illud, aut saltem ad libitum reliquit celebrandum, in sua Synodo an. MCCCCXCIII. Ioannes l'Huillier Meldensis Episcopus. Reuocauit

uocauit Senonensis Synodus Prouincialis sub Stephano de Poncher Archiepiscopo Senonensi. Reuocauit alia Senonensis Synodus sub Ludouico à Borbonio Cardinali & Archiepiscopo Senonensi an. MDLIV. Reuocauit denique Vrbanus VIII. in Bulla, *Vniuersa per orbem*, Commemorauit primò in Anglia Exoniensis Synodus in cap. XXIII. at resecuere postea Simon Mepham & Simon Islip Archiepicopi Cantuarienses, quibus eo nomine Suffraganeus erat qui Exoniensem Synodum congregauit Petrus Quiuil Exoniensis Episcopus: Neque aliter feriandum proposuit VVigorniensis Synodus, nisi in *omnibus præterquam in carrucis*. Cœpisse à Treuirensibus frequentari an. MCCXLV. scribit Lipomanus Veronensis antistes, in Vitt. SS. tom. V. &, cùm in veteribus Martyrologiis non numeretur, adscriptum Kalendario à Ioanne XXII. fuisse testatur in Martyrologio Petrus Galesinius.

SS. Annæ & Mariæ Magdalenæ festi dies adimi quoque possunt: Non tantùm quia antiquis & mediis Ecclesiæ temporibus ignoti erant, verùm & quia vt plurimùm messis temporibus eueniunt: quo fit vt colligendarum terræ frugum necessitate impulsi rusticani populi, aut eos illicitis laboribus suis violent, aut eâ quâ par esset religione non agitent. Huc accedit S. Mariæ Magdalenæ festum, ab Vrbano VIII. abrogatum omnino in præfata Bulla, & media vel circiter sui parte à Cardinali Guisiano in Manuali, vbi ait: *Maria Magdalena ab omnibus operibus vsque post Mis-*

 *sams*

*sam*; Ac S. Annæ celebritatem neque seruari in Diœcesi Mecliniensi, vt constat ex Ecclesiæ Mecliniensis Kalendario quod ad calcem notarum & additionum Ioannis Molani ad Vsuardi Martyrologium habetur: Neque in Senonensi seruatum sub Stephano de Poncher Archiepiscopo Senonensi, quemadmodum liquet ex festorum recognitione edita in Synodo Prouinciali ab eo celebratâ: Neque in altera Synodo Senonensi sub Ludouico à Borbonio Cardinal. & Archiepiscopo Senonensi; Neque etiam in Remensi Prouincia, quòd à me iam sæpius laudatus Manualis illius Prouinciæ liber abundè testatur. Ioannes l'Huillier Meldensis Episcopus in Synodo Meldensi an. MCCCCXCIII. festi S. Annæ celebrationis necessitatem nullam imposuit. Imposuit postmodo Ioannes de Bus Meldensis etiam Episcopus, in Annæ parentis suæ gratiam: sicut & S. Fiacrij memoriam antea profestam, festam reddidit, vt fratri Carolo S. Fiacrij Priori gratum faceret. Adeo verum est pro Episcoporum affectu creuisse in immensum festorum dierum numerum. Vetustum esse scio tam in Orientali quàm in Occidentali Ecclesia S. Annæ cultum, sed festum feriatúmque in vniuersa Ecclesia nescio, nisi post Apostolicas Gregorij XIII. literas, an. MDLXXXIV. Kalendis Maijs editas. In II. Conciliorum Angliæ à Spelmano euulgatorum volumine legitur VVillelmi Courtney Cantuariensis Archiepiscopi mandatum, Episcopo Londinensi datum an. MCCCLXXXIII. cui mandato insertæ sunt
literæ

litteræ Vrbani VI. *Venerabilibus fratribus vniuersis Archiepiscopis & Episcopis in regno Angliæ constitutis*, Scriptæ XI. *Kalend. Iulij, anno* IV. ipsius *Pontificatûs*, in quibus mandat summus Pontifex, *Quatinus prædictam festiuitatem beatæ Annæ annis singulis, perpetuis futuris temporibus deuotè & solemniter celebrent* Archiepiscopi & Episcopi, *& in* suis *ciuitatibus & Diœcesibus mandent & faciant per suos subditos celebrari.* Vnde iam saltem à præscripto anno MCCCLXXXIII obseruatum in Anglia S. Annæ festum colligitur. Quamuis an. circiter MCCCC. illius meminerit Richardus Arundel Cantuariensis Archiepiscopus. Videtur tamen eiusmodi festum improbare S. Bernardus in epist. CLXXIV. ad Canon. Lugd. vbi ait: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? vt honoretur inquiunt & Conceptus qui adorandum præiuit partum, quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset qui honoratur. Quid si alius propter eamdem causam etiam vtrique parenti eius festos honores adserat deferendos? Sed de auis & proauis idipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic tenderetur in infinitum, & festorum non esset numerus. Patriæ est non exsilij frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festiuitatum ciues decet non exsules.*

Sed si quæcumque de rescindendis SS. Catharinæ, Annæ & Mariæ Magdalenæ solemniis diximus, non ita firmioris ponderis videantur, Pauli III. Constitutione *Altitudo diuini consilij*, confirmari facilè poterunt, in qua ne vnam quidem trium illarum celebritatum Indis Meridionalibus & Occidentalibus impe-

rat

rat obſeruandam. Earum quoque nullius meminit in Statutis Guigo Carthuſianus.

Vnius ſolummodò è magis præcipuis cuiuſlibet Eccleſiæ Patronis tolerandum eſt feſtum vnum, reſectis aliis omnibus aliorum minùs præcipuorum Patronorum feſtis. Sic ſtatuunt Concilia, Epiſcopi, Imperatores, Reges, Eccleſiaſtici Scriptores, vbi feſta religioſo ac feriato cultu frequentanda deſcribunt. Chrodogangus in Reg. Canon. cap. LXXIV. *In Natali cuiuſlibet Sancti cuius honor in qualicumque Parochia ſpecialiter celebratur*; Haito Baſileenſis Epiſcopus in Capitul. cap. VIII. *Dedicatio cuiuſcumque Oratorij, ſeu cuiuſlibet Sancti, in cuius honore eadem Eccleſia fundata eſt, quod vicinis tantùm circummorantibus indicendum eſt, non generaliter omnibus.* Concilium Aquiſgranenſe II. in can. XLVI. *In Natalitijs quibuſlibet Sancti cuius honor in qualicumque Parochia ſpecialiter celebratur.* Concilium Toloſanum in cap. VII. *Feſtiuitatem cuiuſlibet Sancti in cuius honore conſtructa eſt Eccleſia*; Synodus VVigornienſis: *feſtum cuiuſlibet Eccleſiæ*; Synodus Exonienſis in cap. XXIII. *Temporibus ſuis feſtum Sancti loci*; Radulphus à Riuo Tungrenſis Decanus, in lib. de Can. obſer. propoſ. XVII. *Generali conſuetudine Patronus Eccleſiæ*: Stephanus de Poncher Senonenſis Archiepiſcopus in Synodo Senonenſi: *Feſtum in cuius honore fundata eſt Eccleſia*; Ludouicus à Borbonio Card. & Arch. Seno. eadem verba repetens. Ludouicus Guillardus Carnotenſis Epiſcopus, in Conſtitu

Constitutionibus Synodalibus an. MDL. euulgatis, pagg. LXIV. & LXV. *Quilibet in sua Parochia diem festum Patroni ab omni opere obseruabit*; Cardinalis à Guisia in Manuali libro: *Festum Patroni cuiuslibet Ecclesiæ.* Millo d'Illiers Carnotensis Episcopus in Statutis Synodalibus an. MCCCCLXXXIX. tit. *de festorum solemnisatione: Qualibet Ecclesia festum sui Patroni.* Ac denique Vrbanus VIII. in constitutione, *Vniuersa per orbem*, vbi decernit: *Vnius ex principalioribus Patronis in quocumque regno siue Prouincia, & alterius pariter Principalioris in quacumque ciuitate, oppido, vel pago, vbi hos Patronos haberi & venerari contingerit.* In quibusdam enim Ecclesiis tanta est Patronorum frequentia, vt singulis penè mensibus eorum alicuius solemnia peragantur, quod in miserorum damnum & ruinam vergit. Eamobrem qui præter vnum vnius è magis præcipuis Ecclesiarum suarum Patronis festum, aliud præterea vel Translationis, vel Illationis, vel Ordinationis, ab omni opere seruili liberum edicunt, præterquàm quòd antiquo Ecclesiæ vsui manifesto contradicunt, Episcoporum festa imminuentium consilio abundanter & apertè aduersantur, quibus eiusmodi festa minùs præcipua, & vulgi ferias amantis ac otium pietate vt plurimùm introducta, numquam animus fuit imperare, aut imperata cum reuocatis aliis non reuocare.

Nonnullæ sunt in orbe Catholico Ecclesiæ in quibus vel pueri Iesu, aut ipsius Passionis, aut

aut pretiosi Sanguinis: vel beatæ Mariæ Scapularis, aut Rosarij, aut Coronæ, aut seruitutis: vel Coronæ S. Iosephi: vel cinguli beati Augustini ac matris eius S. Monicæ: vel funiculi S. Francisci: vel custodum Angelorum: vel aliorum id genus; certis quibusdam singulorum anni mensium diebus, festa celebrantur, omisso diei Dominicæ officio (quod & antiquissimum est, & Christianis maximè venerandum esse debet) vt facilior sit hisce festis agendis locus, quorum aliqua parum stabili firmamento voluuntur, priuatis videlicet priuatorum hominum visionibus, & (vt loquuntur) reuelationibus. In eo etiam optandum esset euigilarent Episcoporum curæ, vt huius ordinis festa, si non omnino detraherent, temperarent saltem, vetaréntque ne quis ea, nisi in vnâ solùm totius anni Dominicâ die obseruaret. Ita quippe frequentiùs constantiúsque fideles populi Ecclesiasticis parochiarum suarum officiis interessent, à quibus sæpe sæpius diuelluntur, vel supplicationibus, vel aliis ritibus, qui nouarum istiusmodi celebritatum diebus fiunt, quod haud scio an vel absque legitimorum suorum Pastorum contemptu, vel absque manifestâ Ecclesiasticæ disciplinæ violatione possint exercere.

Optandum etiam esset vt Episcopi vnâ cum magistratibus animum contenderent ad tollenda sodalitatum quarumdam festa, quæ à priuatis hominibus solummodo reperiuntur instituta,

tuta, ad luxum sæpius, crapulam, saltationes & rixas. Nihil enim de festis eiusmodi siue apud veteres, siue apud recentiores feriatorum dierum nomenclatores vspiam animaduertitur: & de iis præterea sic scribit circa finem libri de amabili Ecclesiæ concordia Desiderius Erasmus: *Festa quæ sodalitates sibi priuata constituunt auctoritate, vna cum ipsis sodalitatibus à magistratu tollenda sunt. Nihil enim aliud sunt quàm Conij & Bacchi conuenticula.* Quod maximè videtur de quibusdam Mercenariorum, artificum, mercatorum & aliorum similis farinæ hominum, sodalitatibus intelligendum.

Ceterùm ab Episcopis festos dies nonnullas imminui posse dum adseuero, idem quoque de jejuniis censendum reor quæ eos antecedunt. Cùm enim illo tantùm instituta fuerint fine, vt Christiani ad Ecclesiasticas ferias piè ac sanctè celebrandas meliùs disponerentur (quod testatur S. Bernardus in serm. in vigil. S. Andreæ Apostoli) sublatis feriis, tolli etiam posse videtur quibus præueniuntur jejunia. Neque enim infirmior est nunc temporis Ecclesiæ præsulum auctoritas, quàm fuerit olim ad abolendas quæ sanctorum festa præcedebant vigilias. Et quemadmodum Episcopi tum propter abusus plurimos, cùm propterea quòd eâ non frequentarentur ratione, quâ frequentandas scribit S. Bernardus initio Sermonis in vigil. SS. Petri & Pauli, vigilias cohibuere: nonne hodie quoque poterunt jejunia dissoluere,

uere, pridie ante præcipuos aliquot festos dies imperata? cùm ideo potissimum festos dies istos resecent, quia eorum otio plerosque Christianorum abuti animaduertunt, cùm etiam jejunia illa antiquarum vigiliarum in vicem substituta sint, quemadmodum tradunt Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus, in lib. VI. Ration. diuin. off. cap. VII. & ante ipsum Ioannes Belethus Parisiensis Theologus in explicat. breui diuin. off. cap. XI. his verbis: *Solebant majores nostri illa nocte, quæ proximè festum præcedebat, vigilare: vnde & vigilias appellabant, dies festa proximè præcedentes, ad quos conueniebant juuenes & puellæ, cantores & lusores, sicut adhuc fit in plerisque regionibus, vt in Pictauia, præcipuè in festis Patronorum Ecclesiarum. Sed quoniam multa inde nascebantur incommoda, institutum fuit vt in locum vigiliarum succederent jejunia, vt eo demum modo comessationes superfluæ & ebrietates, quæ crebrò contingebant tollerentur è medio. Quod in ea forma ab Ecclesia ita dispensatum accepimus.*

Si tamen illa jejunia coërceantur, erit quod meritò doleant viri verè Christiani, quorum *vita* (inquit Concilium Tridentinum sess. XIV. in doctrina de Sacram. extr. vnct.) *Perpetua pœnitentia esse debet*; quíque ab iis plurimùm se discrepare arbitrantur qui sub antiqua agebant lege. *Plus* enim *tunc indulgentiæ erat* (vt ait Saluianus in lib. II. ad Eccles. cath.) *& plus licentiæ; tunc vsus carnium prædicabatur, nunc abstinentia; tunc in omni vita jejuniorum*

*paucissimi dies, nunc quasi vnum jejunium vitæ omnis.* Quo fit vt relinqui posse jejunia conuenientiùs autumem, licèt festa detrahantur. *Quæ autem dixi* (liceat S. Bernardi verbis vti in epist. CLXXIV. ad Canon. Lugd.) *absque præjudicio dicta sint sauius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cetera quæ eiusmodi sunt, vniuersa reseruo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.*

---

# EPILOGVS OPERIS

## *Ex libro Nicolai Clemangij, Bajocensis Archidiaconi de nouis celebritatibus non instituendis.*

*IN fine autem rogo illos qui ad receptas solemnitates retinendas magis forsitan quàm æquum esset, animati sunt, vt attentâ consideratione prædicta priùs secum voluant, quàm ad studium calumniæ aut contentionis accingantur. Et siquidem vera, sincera, vtilia, fideliáque compererint, salubriter ipsi veritati acquiescant, nec armis inutilium argumentorum contra eam nitantur aduersus quam nos nihil posse docet Apostolus. Si quæ verò alia in illis animaduerterint, mihi illa dignentur indicare & ego ea parato animo ad Catholicæ veritatis emendabo regulam, cum qua sentire & in qua viuere*

*viuere* Dum spiritus hoc reget artus, *semper adnuente Christo instituì; cuius fidem testor non animo contradicendi illorum adfectioni ex pia (ut credo) intentione profecta, illa scripsisse, sed ut scandala & incommoda ex talibus oriri solita, ad instructionem & satisfactionem quorumdam simplicium catholicorum aperirem.*

FINIS.



